XENIA BERNARDINA

SANCTI BERNARDI

PRIMI ABBATIS CLARAVALLENSIS

OCTAVOS NATALES SAECULARES

PIA MENTE CELEBRANTES EDIDERUNT

ANTISTITES ET CONVENTUS CISTERCIENSES

PROVINCIAE AUSTRIACO-HUNGARICAE

PARS QUARTA

BIBLIOGRAPHIA BERNARDINA

VINDOBONAE ANNO MDCCCXCI
IN COMMISSIS APUD ALFREDUM HÖLDER
CAES. REG. AULAE ET UNIVERSITATIS BIBLIOPOLAM

BIBLIOGRAPHIA BERNARDINA

QUA

SANCTI BERNARDI

PRIMI ABBATIS CLARAVALLENSIS

OPERUM CUM OMNIUM TUM SINGULORUM EDITIONES AC VERSIONES
VITAS ET TRACTATUS DE EO SCRIPTOS
QUOTQUOT USQUE AD FINEM ANNI MDCCCXC REPERIRE POTUIT

COLLEGIT ET ADNOTAVIT

P. LEOPOLDUS JANAUSCHEK

MONASTERII B. M. V. DE CLARA-VALLE AUSTRIAE (VULGO ZWETTL) PRESBYTER
S. S. THEOLOGIAE DOCTOR EJUSDEMQUE PROFESSOR EMERITUS
ETC. ETC.



VINDOBONAE
IN COMMISSIS APUD ALFREDUM HÖLDER
CAES. REG. AULAE ET UNIVERSITATIS BIBLIOPOLAM
1891

Praefatio

Nobilissimum memoriae gloriosi nominis sui ***monumentum*** *S. Bernardus Claravallensis* ipse *Operibus* suis erexit: monumentum aere perennius, auro fulgidius, gemmis pretiosius! Jam saeculo quo vixit, magis autem proximo, numerosis codicibus praesertim ope monasteriorum ab ejus filiis fundatorum per omnes Europae partes et ulterius Opera D. viri propagabantur; tandem prelo subjecta, in linguas peregrinas translata et eruditis commentariis instructa non a clericis monachisque solis avidissime lecta, sed etiam in laicorum domibus manibusque inventa sunt, et cunctis Christi fidelibus, catholicis haud secus quam acatholicis, doctis non minus quam indoctis, optatum salutique proficuum cibum spiritualem praebuerunt. *„Quis enim“* (verba sunt *Danielis Enfant,* vid. N. 1090) *„vel ex antiquis patribus Bernardo foecundior et tam brevis? Quis in exponendis sacrae scripturae sensibus excelsior et tam clarus? Quis in sententiis gravibus inveniendis et referendis eloquentior et tam pius? Adeo ut in eo nec orationis Romanae desideres eloquentiam nec devotionem Christianae“!* Profecto inter magnos illos ecclesiae antiquioris doctores frustra quaeras, qui sicut *„Mellifluus“* piis hominibus gratus et acceptus, tantis panegyribus ubique gentium laudatus, toties a scriptoribus in libris condendis adhibitus fuerit, ut neque tristibus saeculi decimi sexti motibus neque stultitia, qua proxime elapso coelum ipsum petebatur, de illius auctoritate quidquam detractum sit! Itaque prout *rebus magnis quas gessit,* sic *Operibus* quae reliquit sempiternam gloriam consecutus est

*

tantaque sensim — praeter editiones iteratas — librorum de his illisve scriptorum moles in lucem emersit, ut vere mirum appareat, neminem inter literatos illi diligenter et penitus digerendae manum admovisse atque opus exarasse, quod et Divo viro dignum foret et ejus cultoribus placeret. Contigit, ecce! ut, quod tamdiu desideravimus, ipsi auderemus; utinam et contingat, ut inclyto nomine et lectorum laudibus dignum habeatur!

Ubi nimirum materiem *„Originum Cisterciensium"*, quibus omnium coenobiorum Ordinis nostri fundationes describerentur, primum colligere coepimus ac propter permultas, quae *Clarae-Valli* exordia debebant, quavis fere pagina *S. P. N. Bernardi* nomen offendimus: simul quidquid ad ejus vitam et opera spectabat, maxima cura adnotavimus, sive nostris sive aliorum studiis aliquando inservitur um. Rerum sic congestarum numerus anno MDCCCLXXXVII ingrediente ultra mille ascendit. Quo tempore quum in partem moderaminis *„Xeniorum"*, ab antistitibus et conventibus provinciae Austriaco-Hungaricae Ordinis, octavos natales saeculares S. Bernardi celebraturae, edendorum (Vid. p. 490) vocaremur eoque munere suscepto tomi posterioris „Originum" elaboratio eidem anno jubilaeo destinata prohiberetur: ut nostro quoque calamo ad tanti viri solemnia digne obeunda nonnihil conferamus, collectanea illa octo lustris congesta in ordinem redigere, novis augere atque *„Bibliographiae Bernardinae"* titulo inscripta „Xeniis" adjungere constituimus. Arduum sane opus eoque difficilius, quod miserrima valetudine laborantes jam inde a quindecim annis ne proximarum quidem bibliothecarum scrinia excutere potuimus, magna vero librorum copia opus fuit, ut res ex voto procederet. Et processit ex voto, quod praefecti LXXXV bibliothecarum editiones operum S. Bernardi librosque ad ipsum spectantes quos custodiunt non tantum ad nostram cognitionem humanissime pertulerunt, sed etiam volumina rara pretiosaque magno saepe numero transmiserunt, neque defuerunt ex amicis nostris et promotoribus laborum nostrorum, qui titulos operum sibi indicatorum aliaque excripserunt et nobiscum communicarunt. Quibus omnibus et singulis

maximas quas possumus sincerasque gratias agimus, valde dolentes, aliquot bibliothecarum in antiquissimis artis typographicae sedibus exsistentium praefectos preces nostras ne responsione quidem dignas censuisse; certe nostram editionum cognitionem auxissent et dubia de compluribus exorta solvissent!

(*Nomina civitatum* [I] *et monasteriorum* [II], quorum bibliothecis opus nostrum incrementa debet. Litera **B** bibliothecam, **CR** caesareo-regiam, **D** ducalem, **E** episcopalem, **G** gymnasialem, **M** municipalem, **P** palatinam, **R** regiam, **BU** bibliothecam universitatis denotat.

I. Augusta-Vindelicorum [BM], Bamberga [BR], Basilea [BU], Berna [BM, BU], Berolinum [BR]; Bononia [BU], Braunsberga [BG], Bruna [B musei Franciscei], Cassovia [BE], Cracovia [BU], Divio [BM et B. cl. viri Jolivet], Dresdo-Neostadium [BR], Erfordia [BR], Friburgum-Brisgoiae [BU], Geneva [BU], Genua [B. Beriana], Gottinga [BU], Graecium [BU], Groninga [BU], Gryphiswolda [BU], Guelpherbytum [BD], Hafnia [BR], Hala-Saxonum [BU], Heidelberga [BU], Jena [BU], Insulae [B. U. cathol. et M], Islebia [B. a Turri appellata], Kilonium [BU], Lausanna [BM], Lovanium [BU], Lubeca [BM], Lugdunum-Gallorum [BM], Luxemburgum [BM], Magdeburgum [BG], Marburgum-Cattorum [BU], Monacum [BP], Norimberga [BM], Olomucium [B. CR.], Oenipontum [BU], Paderborna [B. Theodoriciana], Papia [BU], Praga [BU], Regiomontum [BU], Rostochium [BU], Rudnicium ad Albim [B. Lobkowitziana], Salisburgum [B. CR], Stuttgartia [BR], Tigurium [BM], Treviris [BM], Tubinga [BU], Varsovia [BU], Venetiae [B. Marciana], Vindobona [BP, BU], Vratislavia [BU].

II. Altovadum, Augia-Major, S. Bonifacius Monaci, Campililium, Clara-Vallis Austriae, Claustroneoburgum, Cremifanum, Ducumburgum, S. Florianus, Hilaria, Mellicum, Mettenum, Ossecum, S. Petrus Salisburgi, PP. Praedicatores Vindobonae, Reichersberga, Runa, Sacer-Mons Pannoniae, Sancta Crux, Schlierbacum, S. M. ad Scotos Vindobonae, Seitenstadium, Stampium, Trappa, SSS. Trinitas Neostadii, Vetero-Brunae monasterium, Voravia, Zircium.

**

Numerosos aliarum bibliothecarum catalogos a nobis inspectos exhibet Index).

„Bibliographia Bernardina“ elaborata est eo consilio, ut, quidquid ad editiones operum atque ad vitam et singula acta S. Bernardi pertinet, sive manu scriptum sive typis impressum, sive majoris sive minoris momenti erat, complecteretur. Itaque recensitae sunt *editiones operum* cum omnium tum singulorum — tam genuinorum quam suppositorum, eaeque partim fuse partim breviter descriptae; porro illorum *versiones* atque dissertationes de latinorum translatorumque *indole,* de *doctrina* S. Bernardi ejusdemque relatione ad aliena dogmata. Accesserunt *libri* qualescunque *operibus doctoris nostri plus minusve adhibitis exarati,* ut sunt libri meditationum, precationum, concionum aliique, illius nomen in fronte gerentes. Dein collegimus ejus *vitas: majores* — scil. vel ambitu vel fontium usu eminentes; *minores* — variis hominum generibus et aetatibus aptatas et ad pios sensus excitandos idoneas, frequentissime editas; *breves et brevissimas,* quales in legendariis, encyclopaediis (ut vocant) et ejus modi operibus occurrunt. Adjecimus libros, quibus *singularia quaedam S. Bernardi acta et gesta* enarrantur: ut pro reformatione cleri et saecularis et regularis morumque totius populi emendatione, pro vindicatione fidei orthodoxae contra haereticos et nominis christiani tuitione etiam armata contra gentiles, pro defensione sedis Romanae contra schismaticos aliosque adversarios, quippe quibus momentis magnum illum virum coelestemque legatum unice intentum fuisse sermones ejus, tractatus et epistolae testantur variaque quae sustinuit certamina probant. His adjunximus aliquot *scriptores historiae* sive universalis, sive solius Galliae, Germaniae etc., qui illius relationem ad aevum suum exponunt, illorumque de Bernardo heroe et *literatorum* virorum de Bernardo auctore *judicia.* Sequuntur omnis generis *panegyrici,* sermone soluto ligatove compositi, praecipue sacri: vel a templis in quibus recitabantur, vel ab oratoribus eloquentissimis vel ab argumento proposito memoria digni; ad quos etiam pertinent *preces, litaniae, hymni, actiones scenicae musicaeque,* cultui divi abbatis dedicatae summaeque

admirationis et venerationis inter omnes gentes ei tributae documenta, ipsa admiranda et veneranda!

Bibliographiam tali tantoque consilio institutam a nullo unquam auctore, imo vix a societate quadam in eum finem condita plene absoluteque perfici posse, per se patet, cum omnia omnino opera eaque saepe vastissima et omnes ephemerides (quas vocant) theologicae, historicae, literariae, numerosis voluminibus per universum orbem dispersae, nec a singulis neque a compluribus ita pervolvi queant, ut prorsus nihil attentionem effugiat! Hinc et nostrum opus neque lacunis caret neque defectibus; confidentes vero, emendationes et additiones continuatis nostris aliorumque curis non defuturas esse, interim satis contentos nos fore profitemur, si censores religiosissimi inspecta hac „Bibliographia", 129 numeros (ut vocant) ex manu scriptis et 2761 ex impressis operibus librisque exhibente, nos — non obstante tristi qua urgemur conditione — et *bene coepisse* et *dimidium facti habere* judicaverint!

Inscriptiones accurate reddidimus; ad *incunabula* quod attinet, cum permulta nonnisi solutis notis (seu abbreviationibus) ab Hainio aliisque – ut praesertim Panzero exhibeantur, omnia sic descripsimus, inaequalitate haud grata hoc modo evitata; speciales quosdam libros de incunabulis aliquot bibliothecarum recens editos adhiberi non potuisse, utpote vel nullibi inventos vel non permissos, vehementer dolemus. Quae ipsi ad manus habuimus incunabula, fuse descripta et sic nonnullae res ad S. Bernardum spectantes repertae sunt, quae alias ad cognitionem nostram non pervenissent. Ubi notae typographicae: annus et locus impressionis atque officina, vel omnes vel singulae desunt, a peritiorum scriptorum et antiquariorum sententia non discessimus, conjectura nostra in nonnullis casibus adjecta. Non minori sollicitudine posteriorum saeculorum libros recensuimus; in quibus si quid erratum omissumque fuerit (quod in tanta rerum silva praecaveri nequit), correctionem a lectoribus precamur.

In extremis pauca de *Indice Bernardino* „Bibliographiae" annexo dicenda sunt. Cum complures editiones generalem

quamdam inscriptionem in fronte gerant, e. g. „Opuscula", „Sermones", aliae ambiguam, ut „De contemptu mundi", „Sententiae", aliae epistolas cum sermonibus confundant aut fictum titulum absque primis postremisque opusculi verbis exhibeant, ut nec peritissimus scriptorum S. Bernardi lector quid sub illo lateat divinare possit: fieri non potuit, ut singuli quique tractatus genuini spuriique et alia cum omnibus editionibus et versionibus in indice ita appareant prout Chartula, libri de Consideratione, Floretus, Meditationes, Planctus etc.; unde, quae singula non adduximus, conjuncta recensemus sub inscriptionibus: „Opuscula singula et complura", „Poemata singula et complura", prout communi „*Symbolarum*" vocabulo omnia illa minora comprehendimus, quae ad illustranda S. Bernardi acta et scripta quidquam conferunt, cum propter rerum varietatem et multitudinem speciatim recenseri nequeant. Qui in elaborandis ejusmodi Indicibus desudaverunt, nostram agendi rationem haud improbabunt. —

Cum inter cl. praefectos bibliothecarum supra nominatarum et praeter illos sint, qui sive magna librorum nobis missorum mole sive copiosis pretiosisque notitiis nobiscum communicatis de hac „Bibliographia" prae ceteris optime meruerunt, horum nomina exprimenda esse duximus, rogantes, ut publicam hanc gratiarum actionem benevole excipiant futuraque studia nostra pari humanitate adjuvent. Quae nomina sunt haec:

Cl. Dr. *Auermann,* bibliothecarius regius Erfordiae; Dr. Carolus Christophorus *Bernouilli,* bibliothecarius universitatis Basileensis; P. Eugenius *Bill,* bibliothecarius ad SSS. Trinitatem Neostadii; Dr. Carolus *Castellani,* praefectus Marcianae Venetiis; Dr. Carolus *Curtius,* bibliothecarius municipalis Lubecensis; Albinus *Czerny,* bibliothecarius ad S. Florianum; Dr. Cornelius *Desimoni,* praefectus reg. archivii Genuensis; Maximilianus *Dvořák,* bibliothecarius Rudniciensis; Dr. Carolus *Dziatzko,* praefectus bibliothecae universitatis Gottinganae; Dr. Franciscus Xaverius *de Funk,* professor theologiae catholicae in universitate Tubingensi; Richardus *Garnett,* bibliothecarius in Museo britannico Londini; Dr. Ferdinandus *Grassauer,* praefectus bibliothecae universitatis

Vindobonensis; Johannes *Grosset*, bibliothecarius-adjunctus in municipali Lugdunensi; Olindus *Guerrini*, praefectus bibliothecae universitatis Bononiensis; Philippus *Guignard*, bibliothecarius municipalis Divionensis; Dr. Guillelmus eques *ab Hartel*, praefectus bibliothecae palatinae Vindobonensis, Wenceslaus *Hartl*, custos primarius ejusdem; Dr. Otto *Hartwig*, praefectus bibliothecae universitatis Halensis; J. Seb. *Hausmann*, custos c. r. bibliothecae Olomucensis; P. Willibaldus *Hauthaler*, bibliothecarius ad S. Petrum Salisburgi; Dr. Otto *de Heinemann*, bibliothecarius Guelpherbytanus; Dr. Ludovicus *de Hörmann*, bibliothecarius universitatis Oenipontanae; Joachimus Garcias *Icazbalceta*, vir literatus Mexici; P. Utto *Kornmüller*, presbyter Mettenensis; Dr. Georgius *Laubmann*, director bibliothecae palatinae Monacensis; Dmc. Cun. *Loew*, Monacensis; P. Gabriel *Meier*, bibliothecarius Eremi B. M. V.; Ernestus *Mummenhoff*, bibliothecarius municipalis Norimbergensis; P. Raphael *Pavel*, bibliothecarius Altovadi, P. Hugo *Presch* ad Sanctam-Crucem; P. Godefridus *Reichhart*, professus Gottvicensis, parochus Haindorfii; Dr. Odilo *Rottmanner*, bibliothecarius ad S. Bonifacium Monacensem; P. Hugo *Schmid*, bibliothecarius Cremifanensis; Dr. Otto *Schmid*, professor theologiae in universitate Graeciensi; Dr. Ludovicus *Sieber*, praefectus bibliothecae universitatis Basileensis, Dr. Franciscus *Schnorr de Carolsfeld*, reg. Dresdo-Neostadiensis, Dr. Josephus *Staender*, universitatis Vratislaviensis, Dr. Julius *Steup* Brisgoio-Friburgensis; Richardus eques *de Strele-Baerwangen*, custos bibliothecae c. r. Salisburgensis; P. Paulus *Tobner*, camerarius Campililiensis; Mauritius *Trapp*, custos musei Franciscei Brunae; C. *Weeke*, bibliothecarius Hafniensis, P. Antonins *Weis*, Runensis, Dr. Jacobus *Wille*, Heidelbergensis; Dr. Augustus *Wilmanns*, director-generalis bibliothecae regiae Berolinensis; P. Bernardus *Wohlmann*, bibliothecarius Ossecensis; P. Robertus *Wuku*, presbyter Zwettlensis, professor in collegio ad Sanctam-Crucem; Dr. Antonius *Zeidler*, praefectus bibliothecae universitatis Pragensis. –

Quibus praemissis librum Doctori Mellifluo ante DCCC annos nato consecratum RR. sodalibus sub ejus vexillo nobiscum

militantibus, cunctis sanctissimi abbatis cultoribus doctisque ejus modi operum amicis offerimus. Utinam placeat propter illustre nomen, quo in fronte decoratur, et propter laborem nostrum quovis folio conspicuum! Non tendimus nisi ad majorem gloriam divi viri, cujus patrocinio Ordinem instanter commendamus, ut in dies laetius reflorescat et palmites latius extendat; ad cujus et omnis gratiae largitatem obtinendam beatus Bernardus, Abbas et Doctor egregius, suis apud Dominum semper pro nobis meritis et precibus intercedat. Amen.

Datum Thermis-Cetiis mense Decembri MDCCCXCI.

D. Leopoldus Janauschek

In Bibliographiam Bernardinam Introductio

I

De Operibus S. Bernardi

Septem et quod excedit saeculis, quae a *S. Bernardi Claravallensis* obitu elapsa sunt, testante hac *„Bibliographia“* omnium gentium cultiorum et confessionum christianarum viri pietate et eruditione conspicui de indole, praestantia, auctoritate *operum* ejus tali ingenio tantaque copia disseruerunt, ut nostram sententiam – licet multa lectione firmatam – de iis exponere prorsus inutile sit. Si qui ex *historicis* – certo paucissimi — et olim exstiterunt neque hodie desunt, qui de *rebus* a magno – imo maximo illo homine *gestis* benignius judicassent, si sui aevi pontifices debellasset, adversarios autem revelatae veritatis defendisset: in existimandis *scriptis* ejus unus omnium laudum concentus est, ita quidem, ut ipsi confessionum acatholicarum asseclae dogmata sua inde derivare eorumque ope stabilire – quamvis frustra — conarentur! Rebus sic se habentibus laudatorum Doctoris Melliflui agmina augere nolentes ad eam partem thesauri nobis relicti convertamur, cujus diligentem descriptionem libri nostri finis requirit.

Operum S. Bernardi editores distinxerunt hodieque distinguunt *genuina, dubia et supposititia,* medium locum iis tribuentes, quae vel ex libris divi viri composita quasi genuina apparent vel ejus dicendi genus accuratissime imitata ipsum auctorem habuisse videntur. Verum cum per tot saecula ne acerrimis quidem ingeniis contigisset, ut dubia de dubiis dispellerent atque simulata spuriaque in vera converterent: nos missis ejus modi distinctionibus nonnisi *genuina* S. Bernardi opera eique *supposita* discernimus, quorum priora temporis quo exarata sunt, posteriora literarum ordine, ut a lectore facilius recognoscantur, disponemus.

II

A

Opera Genuina

I. Sermones.

Primus inter genuina S. Bernardi opera locus debetur *Sermonibus,* tam ratione temporis, utpote ab illo ad dignitatem abbatialem evecto statim habendis habitisque, quorum itaque nonnulli fortasse jam ad annum 1115 referri possunt, quam propter amplitudinem epistolis longe superiorem atque sublimitatem materiae in iis universim spectatis potius quam in tractatibus expositae. Sunt autem:

1. *Sermones de Tempore,* numero LXXXVI — inter quos IV homiliae post septimum sermonem in adventu Domini insertae et vulgo *„Super missus est"* appellatae, ast secundum verba S. Bernardi ipsius recte *„Homiliae in laudibus matris"* inscribendae; nec non XVII *sermones* in psalmum (XC) *„Qui habitat"*, tempore quadragesimali circa annum 1140 recitati et post sermonem septimum in Quadragesima collocati. Quem numerum LXXXVI Sermonum repertis novis augeri posse, fragmento nuper edito cl. Georgius Hüffer probavit; magna autem in iis admittendis cautione opus est, cum saeculis XII et XIII viri sacrarum literarum peritissimi floruissent, quorum sermones a Bernardinis difficillime distinxeris.

2. *Sermones de Sanctis* — numero XLIII et quidem de SS. Apostolis Petro, Paulo, Andrea; de SS. Benedicto, Clemente (I, P. M.), Johanne Baptista, Malachia, B. Maria V., Martino, Michaele, Victore, de Omnibus Sanctis, B. Humberto et in festo Dedicationis ecclesiae; inter quos sermones de SS. Malachia et Victore atque de B. Humberto nobis perplacuerunt.

3. *Sermones de Diversis* — numero CXXV, ceteris breviores, aliqui brevissimi; sed de his demendi sunt VI, VII, XXI – utpote Nicolai Claravallensis; VIII, XXVIII – Guerrico Igniacensi tribuendi; XL, XLI – quia dubii; LXVIII – qui idem ac XXXII; quibus itaque subtractis CXVII supersunt.

4. Omnium celeberrimi sunt *Sermones in duo priora capita Cantici Canticorum* usque ad locum capitis III: „In lectulo meo quaesivi", numero LXXXVI, quos S. Bernardus tempore adventus a. 1135 aggressus anno 1137 ad XXIV et anno 1148 ad LXXX perduxit, sex reliquis ante mortem adjectis. Continuavit *Gilbertus*, abbas Swinshedi Ordinis Cisterciensis, *de Hoilandia* a situ monasterii appellatus, XLVIII sermones scribendo, quorum postremo locum capitis V: „Dilectus meus candidus" attigit. —

II. Epistolae.

Secundum in operibus D. Bernardi locum tenent *Epistolae,* tum respectu temporis habito, quippe quarum primam ad

Robertum — nepotem suum — anno 1119 dederit, quum ob insignem multitudinem, dignitatem personarum et summam gravitatem rerum, quarum causa ortae sunt. In varia regna locaque dissitissima missae „Operum“ moderatoribus nonnisi sensim innotuerunt; sed tamen numerus CCCX, qui in antiquissima collectione apparet, in tertia editione Mabilloniana anno 1719 impressa ad CCCCXLVII ascendit. Ex his epistolae CCCCXX ad CCCCXLVII aliaeque XII partim suppositae dubiaeve, partim non a S. Bernardo, sed ad ipsum scriptae sunt, et quae adhucdum numeris XLII, LXXVII, CXC signantur, in „Tractatuum“ seriem abiere – quibus XLIII demtis CCCCIV tamquam genuinae Bernardinaeque superant, quas *Edmundus Martène* et *Ursinus Durand* (vid. Bibliogr. Bernard. N. 1489) XXXV et *Josephus Kervyn de Lettenhove* (vid. N. 2335) V pariter genuinis auxerunt. Anno 1884 *Georgio Hüffer* asserente CCCCCIX epistolae impressae exstiterunt, inter quas LVI ab aliis ad D. Bernardum scriptae sunt; ad superstites CCCCLIII dictus vir eruditus VIII recens detectas addidit, quibus computatis numerus ad CCCCLXI assurrexit. Cum jam ex Mabillonio constet, alias adhuc et quidem ad homines nomine et dignitate notos a S. Bernardo datas ejusque commercium literarum longe frequentius illo fuisse, quod editis comprobatur: de illis aliisque casu secundo inveniendis non dubitamus, una sperantes, fore ut tota earum series ordine temporis, quo scriptae sunt, penitus restituto adjectisque idoneis adnotationibus historiae saeculi XII investigandae utilissimum praesidium afferat. –

III. Tractatus seu Opuscula.

Tertium locum damus *Tractatibus,* quorum primus serius quam prima S. Bernardi epistola exaratus est. Sunt autem *ordine temporis* hi:

1. *Tractatus de gradibus humilitatis et superbiae,* certe ante annum 1125, imo fortasse jam a. 1121 compositus.

2. *Liber* (seu Tractatus) *de diligendo Deo,* al. *de Amore Dei,* directus Heimerico, cardinali et cancellario, anno 1126 vel initio insequentis scriptus.

3. *Apologia ad Guillelmum,* S. Theodorici Remensis abbatem, (a. 1134 Ordinis nostri sodalem in monasterio Signiacensi), quae anno 1127 jam exstitit, forsitan paulo prius exarata. (Pars ejus frequenter occurrit sub his inscriptionibus: *De Concordia ordinum,* vel: *De Concordia statuum religiosorum sui temporis).*

4. *Tractatus* (rectius *Epistola XLII*) *de moribus et officio episcoporum,* ad Henricum, Senonensem archiepiscopum, sine dubio post Apologiam, sed forte eodem anno 1127 ortus.

5. *Tractatus de gratia et libero arbitrio,* jam anno 1128 notus et verisimiliter ad superiorem referendus.

6. *Sermo* (seu Liber) *de Conversione ad Clericos,* al. de *Conversione ad scholares* libellus, *Sermo exhortatorius ad clericos* (Parisienses), anno 1128 vel non diu post confectus.

7. *De Laude novae militiae ad milites Templi,* in antiquis codicibus: *Prologus S. Bernardi ad milites templi.* (Seqq.) *Capitula de laude novae militiae;* al. *Exhortatorius sermo* etc., aliquot annos post synodum Trecensem (a. 1128), Templariis magnam nominis gloriam jam assecutis, sed ante annum 1136 scriptus ideoque ad tempus inter annos 1132 et 1136 referri solitus.

8. *Tractatus* (proprie Epistola LXXVII) *ad Hugonem de S. Victore de baptismo* aliisque quaestionibus ab ipso propositis, ante hujus mortem, quae a. 1142 accidit, et verisimiliter schismate pacato—itaque inter annos 1138 et 1142 ad illum missus.

9. *Tractatus* (recte Epistola CLXXXX) *contra quaedam capitula errorum Abaelardi,* anno 1140 compositus.

10. *Liber de praecepto et dispensatione,* anno 1143 commemoratus et fortassis tum vel paulo ante scriptus.

11. *Liber de vita et rebus gestis S. Malachiae,* Hiberniae episcopi, statim post ejus mortem (II Nov. 1148) scribi coeptus et initio anni 1149 absolutus.

12. *Libri V de Consideratione ad Eugenium III,* quorum primus confectus est a. 1149, secundus a. 1150, tertius a. 1152, quartus et quintus mature post illum; anno enim 1153 et pontifex et abbas fatis cesserunt.

Quibus „Tractatibus" haec genuina adjunguntur:

1. *Epistola* (seu Prologus) *super Antiphonarium Cisterciensis Ordinis,* ante annum 1134 exarata, (al. inscripta: *Tractatus cantandi Graduale,* Graduali Cisterciensi prologi instar praemissus).

2. *Officium de S. Victore Confessore,* a S. Bernardo Guidone, Arremarensi O. S. B. abbate, rogante compositum. —

B

Opera Supposita

Jam in antiquissimis codicibus genuinorum operum S. Bernardi reperiuntur *Commentarii, Declamationes, Documenta, Epistolae, Expositiones, Formulae, Libri, Meditationes, Opuscula, Poemata, Sententiae, Sermones, Specula, Summae, Tractatus* aliaque scripta speciali inscriptione distincta, quae, cum vel commune S. Bernardi nomen cum illis exhibeant, vel genuinis ejus verbis passim utantur, vel stilum Doctoris Melliflui imitentur, genuina habita, magnam partem in editiones operum omnium suscepta et propter indolem bonis moribus formandis, pietati excitandae et alendae idoneam raroque S. Bernardo indignam etiam extra Opera iterum iterumque typis subjecta, in linguas peregrinas translata et innumeris exemplaribus per omnes fidelium sedes diffusa sunt. Quum in universali „Bibliographia Bernardina" iisdem haud

secus ac genuinis locus competat, poematibus in fine collocatis ordine literarum hic breviter recensentur, auctorum nominibus, ubi de iis constat, adnexis. Hanc seriem, sed et qualemcunque futuram, plenam esse non posse, qui ingentis codicum MSS. multitudinis meminerit, facile largietur. Conatum damus, licet non exiguum et ex ipso hoc libro augendum; sed cum sub *fictis inscriptionibus* excerpta seu fragmenta genuinorum librorum S. Bernardi latere possint, a nonnullis in dictam seriem suscipiendis abstinuimus, certiora – si lectoribus innotuerint — ab eorum humanitate exspectantes.

1. De *Amore Dei.* –
Antiphonarium, vid. 101. –
Aurea psalmorum VII poenitentialium expositio, vid. 8. —
Bellum inter Babylonem etc., vid. 50. –
2. *Bellum de perfectione servorum Dei* (in MSS.). —
3. *Bellum quomodo eripitur anima a vitiis* (in MSS.). –
4. *Breviarium S. Bernardi* (in MSS.). –
De *Christo et ecclesia*, vid. 50. –
5. *Colloquium peccatoris et crucifixi* Jesu. —
Colloquium Simonis cum Jesu, vid. 12. —
6. *Commentarius in Apocalypsim.* —
7. *Commentarius in Pauli epistolas* (qui est Bernardi Clavonensis, Augustiniani). —
8. *Commentarius in Psalmos poenitentiales,* al. *Aurea psalmorum septem poenitentialium expositio* (Innocentii III P. M.). –
9. *Commentatio brevis in Cantici-Canticorum priora duo capita,* ex S. Bernardi Sermonibus contexta, ubi „*de Triplici statu amoris*"; breve compendium, quod in praefatione tertiae editionis Mabillonianae „a quodam homine studioso et pio concinnatum" habetur, rectius autem Guillelmo a S. Theodorico tribuitur. –
10. *Commentatiuncula in hymnum* „Jesu nostra redemptio". –
11. *Confessionis privatae formula,* seu: *Confessio S. Bernardi,* seu: *Oratio poenitentis ad Christum devotissima,* „quae S. Bernardo non male adjudicatur". (Inc.: In unione acerbissimi doloris tui). —
De *Conflictu civitatis Babylon* etc., vid. 50. —
Contemplatio de passione Domini, vid. 36. —
12. *Declamationes de colloquio Simonis cum Jesu,* ex S. Bernardi sermonibus a Gaufrido, ejus notario, collectae; passim inscriptae: *Sententiae exceptae* ex opusculis venerabilis abbatis Claraevallis. Inc.: Dixit Simon Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te. (Matth. 19, 27). –
13. De *Creatione mundi* et rerum (in MSS.). –
Dialogus animae, vid. 55. –
14. De *Dignitate* sacerdotum, al. de *Excellentia sanctissimi Sacramenti* (est proprie pars „Instructionis sacerdotis", vid. 35). —
De *Diligendo Deum,* vid. 39. –

15. *Disputatio cujusdam justi cum Deo*, sive ad horam e corpore educti et ad corpus reducti: sive in excessum rapti et postmodum ad se revocati. —

Doctrina S. Bernardi, vid. 17. —

De *Doctrina Puerorum* (vel: *Religiosorum*), vid. 110. —

16. *Documenta* (Varia et brevia) *pie seu religiose vivendi*. —

17. *Documenta* (alia) *vitae religiosae*, s. *Doctrina S. Bernardi*. —

De *Duodecim Doloribus*, vid. 113. —

18. De *Duodecim* (passim: undecim) *oneribus Isaiae*, al. *Onus Babylonis*, *Onus Philistiim* (est Ailredi, abb. Rievallis O. Cist.). —

Super: *Ego sum vitis vera*, vid. 112. —

19. *Epistola de Cura et modo rei familiaris*, al. *De Gubernatione familiae* (simpl.). Inc.: Gratioso et felici militi Raymundo, domino castri Ambasii. (Eandem, saepissime impressam et in multas linguas translatam, „S. Bernardo indignam" vocant tribuuntque Bernardo Silvestri, monacho Carnotensi). —

20. *Epistola* (cujusdam) de *Doctrina vitae agendae*, seu de *Regimine cordis, oris et operis*. —

21. *Epistola* (seu Tractatus) *ad Fratres* (Carthusianos) *de Monte-Dei*, non a Guillelmo de S. Theodorico, sed a Guigone II, quinto priore Carthusiae-Majoris, exarata. —

22. *Epistola de Maccabaeis* (in MSS.; videtur esse diversa ab epistola IIC genuina). —

23. *Epistola, Quid a nobis requirat Deus*. —

24. *Epistola ad Religiosos Dunelmenses* (in MSS.). —

25. *Epistola circa Votum*. —

De *Excellentia ss. Sacramenti*, vid. 14. —

26. *Expositio* in Orationem Dominicam, al. *Oratio Dominica secundum S. Bernardum* (a quodam monacho O. S. B. confecta). —

27. *Expositio in psalmum* (XXVIII) „*Afferte*" (est Richardi de S. Victore). —

28. *Expositio in psalmum L* („Misererei mei Deus", est Urbani II P. M.). —

De *Extremo Judicio*, vid. 113. —

De *Fide, Spe et Caritate*, vid. 50. —

29. *Flores* (ex S. Bernardi operibus, auctore Guillelmo Tornacensi), al. *Florilegium, seu Bernardinus*. —

30. *Formula* (seu: *Speculum*) *Honestae vitae*. Inc. „Petis a me frater carissime". (An Bernardi Silvestris?). —

31. *Formula Novitiorum*, al. Opusculum in verba: „*Ad quid venisti*." (Scripsit David de Augusta, ordinis Minorum). —

Gemma Crucifixi, vid. 35. —

De *Gubernatione familiae*, vid. 19. —

32. *Homilia in „Simile est regnum coelorum* homini negotiatori". (Matth. 13, 45). —

33. *Imitatio Christi* (est Thomae a Kempis). —

34. *Instructio* quomodo possit homo in bono proficere et placere Deo. —

35. *Instructio sacerdotis*, seu: *Tractatus de praecipuis mysteriis* nostrae religionis, al. *Gemma Crucifixi*. —
Inter Babylonem et Jerusalem etc., vid. 50. —
De *Interiori homine*, vid. 47. —
36. *Lamentatio in passionem Domini* al. *Contemplatio de passione* Domini nostri Jesu Christi secundum VII horas canonicas cum certis orationibus super septem verbis, quae dixerat in cruce pendens. —
37. *Liber de Amore Dei*. —
38. *Liber Aromatum*, seu *Speculum cordis*. —
39. *Liber* (seu Sermo vel Tractatus) *de Caritate*, al. *de Diligendo Deum* (consarcinatus ex Richardo de S. Victore, Petro Blesensi et variis S. Bernardi locis). —
40. *Liber* Doctrinalis (in MSS.). —
41. *Liber in Hexaemeron*, seu de *Operibus sex dierum* (Arnaldi Bonavallensis). —
42. *Liber Meditationum* (distinctus a „Meditationibus"). —
43. *Liber de Modo bene vivendi* ad sororem (quem alii seni cuidam, alii Thomae, Frigidi-Montis [O. Cist.] monacho tribuunt, scriptum ad sororem suam cognomento Hierosolymitanam). —
Liber Sententiarum, vid. 60. —
44. *Liber Usuum*, seu *Vitae Monasticae ritus et usus* (non est S. Bernardi, sed potius S. Stephani, tertii abbatis Cistercii). —
45. *Meditatio in passionem* et resurrectionem Domini. —
46. *Meditatio* (devotissima) *in „Salve Regina"*. Inc.: Ad salutandam virginem (est fragmentum „Stimuli amoris" in operibus S. Bonaventurae). —
47. *Meditationes piissimae de cognitione humanae conditionis*, al. *De Interiori homine* (quomodo Deum inveniat); etiam inscriptae: *Tractatus utilis ex verbis B. Bernardi et aliorum patrum* (uti: Ambrosii, Augustini, sed et Senecae, Boëtii etc. — An Hugonis de S. Victore?). —
Miserere, vid. 28. —
De *Moribus adolescentum*, vid. 110. —
48. De *Nundinis animae et quinque regionibus* (in MSS.).
49. *Octo puncta perfectionis assequendae*, seu: mediante quibus (!) pervenitur ad perfectionem vitae spiritualis. —
Onus Babylonis (vel: *Philistiim*), vid. 18. —
De *Operibus VI dierum*, vid. 41. —
Opusculum in verba: Ad quid venisti, vid. 31. —
Oratio Dominica secundum Bernardum, vid. 26. —
Oratio poenitentis ad Christum, vid. 11. —
50. *Parabolae* (vulgo S. Bernardo adscriptae):
I. *De pugna spirituali*.
II et III. *Inter Babylonem et Jerusalem* nulla pax est; al.: *Bellum inter Hierusalem et Babylonem*; al.: *De Conflictu civitatis Babylon* et Jerusalem; al. (?): *Pugna inter regnum Christi* et diaboli (in Mss.). —

IV. *De Christo et ecclesia.*
V. *De fide spe et caritate.* —
51. *Planctus B. Mariae V.* (in morte sive in passione Domini Nostri Jesu Christi). Inc.: Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis imbrem lacrimarum.
Praefatio de Cantu, vid. 101. —
52. *Prosa in festum B. Mariae V.* (de qua nil constat). —
53. *Psalterium B. Mariae V.* —
Pugna inter regnum Christi, vid. 50. —
De *Pugna spirituali,* vid. 50. —
54. De *Quatuor gradibus ascendentibus* in vitam contemplativam et postea in gloriam (in Mss.). —
De *Quatuor modis orandi,* vid. 58. —
55. *Querela,* sive: *Dialogus animae* et corporis damnati. —
De *Regimine cordis* etc., vid. 20. —
56. *Regula Conversorum* Ordinis Cisterciensis. —
57. *Regula Pauperum commilitonum Christi et Templi Salomonis* (verisimiliter a Johanne Michaellensi exarata).
58. *Scala Claustralium* (in operibus S. Augustini sub titulo: *Scala Paradisi),* seu *Tractatus de Modo orandi,* vel: *De Quatuor modis orandi* (cujusdam Carthusiani? Guigonis?). —
Scriptum contra Waldenses, vid. 119. —
59. *Sententiae S. Bernardi* (numero XVII et XXVI, sequentibus longiores). —
60. *Sententiae ex S. Bernardi operibus depromtae;* al.: *Flores;* al.: *Liber Sententiarum.* (Sunt CLXXXVI — jam S. Bernardi aevo notae). —
Sententiae exceptae etc., vid. 12. —
61. *Sermo in Adventu Domini.* (Est Aelredi Rievallensis). —
62. *Sermo in festo S. Andreae.* (Est Nicolai Claravallensis). —
63. *Sermo* in Assumptione B. Mariae V. —
64. *Sermo in Canticum B. Mariae V.* (Magnificat anima mea Dominum). —
Sermo de Caritate, vid. 39. —
65. *Sermo* ad Clerum in concilio Remensi congregatum. —
66. *Sermo in Coena Domini.* —
67. De *Sermone Domini in ultima coena* ad discipulos habito. (Spectat ad Ogerium, abbatem Lucedii Ord. Cisterc.). —
68. *Sermo in parabolam evangelicam de Decem Virginibus.* —
69. *Sermo in Dominica Palmarum.* —
70. *Sermo* (Feria II Paschatis) *de Duobus discipulis* euntibus in Emaus. (Luc. 24). —
71. *Sermo de Duodecim portis Jerusalem.* —
72. *Sermo* (in verba evangelii): *Ecce nos reliquimus omnia.* —
73. *Sermo de Fugienda cordis et corporis immunditia.* —
74. *Sermo* (in illud Michaeae 6, 8): *Indicabo tibi, o homo;* al. inscriptus: *De trina qualitate lacrymarum.* —

75. *Sermo in Nativitate Joannis Baptistae* et de Decem privilegiis ejus. (Nicolai Claravallensis? Petri Damiani?). —
76. *Sermo de B. Maria Virgine.* —
77. *Sermo* (panegyricus) *ad B. Mariam V. Deiparam.* —
78. *Sermo de Miseria humana.* Inc.: O homo, qui ex anima rationabili etc.; saepissime translatus et impressus. —
79. *Sermo in festo S. Nicolai,* Myrensis episcopis (est Nicolai Claravallensis). —
80. *Sermo* in illud: *Panem Angelorum.* —
81. *Sermo ad Pastores* in synodo congregatos. —
82. *Sermo ad Praelatos* in concilio (generali) convocatos. (An Gilberti de Hoylandia?). —
83. *Sermo de Praerogativa vitae religiosae.* —
84. *Sermo in illud Sap. 7, 30:* Sapientia vincit malitiam (est Guiberti de Novigento). —
85. *Sermo de Septem donis Spiritus Sancti.* —
86. *Sermo in festo S. Stephani protomartyris.* —
87. *Sermo* (in parabolam) *de Villico iniquitatis* (cujusdam Bernardi, monachi Cluniacensis). —
88. *Sermo* de *Vita et Passione Domini,* al.: *Stimulus Amoris.* Inc.: Jesum Nazarenum a Judaeis innocenter condemnatum. (An Anselmi Cantuariensis?). —
89. *Sermones* XV de sermone Domini in ultima *coena* ad discipulos habiti. —
90. *Sermones V* in quaedam *festa et Dominicas* per annum. —
91. *Sermones III* in *Nativitate Domini* (Nicolai Claravall.). —
Sermones II de Passione Domini, vid. 112. —
92. *Sermones IV in (antiphonam) „Salve Regina"* (qui Bernardum Toletanum auctorem habent). —
93. De *Simplicitate* (in MSS.). —
94. *Soliloquium.* Inc.: Cor meum, rogo te, ne sis fatuum. —
95. *Speculum Bernardi* Abbatis de his, ad quae in professione obligatur monachus (est Bernardi, abbatis Casinensis). —
Speculum Cordis, vid. 38. —
Speculum Divini Amoris, vid. *Poema* „Erant duo socii". —
Speculum Honestae vitae, vid. 30. —
96. *Speculum Monachorum* (seu *Religiosorum*; composuit *Arnulphus de Lovanio,* dictus *de Boheriis* a monasterio Ord. Cisterc. in dioecesi Laudunensi, cujus sodalis erat). —
97. *Speculum Peccatorum* seu peccatoris agonizantis. —
98. *Speculum Virginum.* —
Stimulus amoris, vid. 88. —
99. *Summa* (seu *Casus*) *Conscientiae.* —
100. *Summa de Vitiis* (collecta ex diversis S. Bernardi operibus) in MSS. —
Tonale S. Bernardi, vid. 101. —
101. *Tractatus de ratione cantandi,* al.: *Praefatio* seu *Tractatus de Cantu* (seu *Correctione Antiphonarii* (vel *cantus*), al.: *Tonale,*

est *Guidonis*, abbatis Cari-Loci Ord. Cisterc. in dioecesi Bisuntinensi). —

Tractatus de Caritate, vid. 39. —

102. *Tractatus* (alter, vid. 107) *de Conscientia* ad religiosum quemdam Ordinis Cisterciensis („S. Bernardo non indignus, quamvis nec illius esse videatur"). —

Tractatus de Conscientia aedificanda, vid. 107. —

103. *Tractatus de Consuetudine mala.* —

104. *Tractatus de Contemplando Deo* (est Guillelmi abbatis de S. Theodorico). —

105. *Tractatus de Corpore Domini.* —

Tractatus de Correctione antiphonarii (s. Cantus), v. 101. —

Tractatus ad fratres de Monte Dei, vid. 21. —

106. *Tractatus de Infante Jesu*, seu: de *Jesu puero duodenni* (est Ailredi Rievallensis). —

107. *Tractatus de Interiori Domo*, seu: de *Conscientia aedificanda* (in quo multa ex „Meditationibus" reperiuntur, tertius equidem legitur inter IV libros de Anima apud Hugonem a S. Victore, tribuitur autem potius monacho cuidam Cisterciensi illius aevi. Inc.: Domus haec in qua habitamus). —

Tractatus de Modo orandi, vid. 58. —

Tractatus de Moribus adolescentum, vid. 110. —

Tractatus de Musica, vid. 101. —

108. *Tractatus de Natura et Dignitate Amoris* (est Guillelmi a S. Theodorico). —

109. *Tractatus de Obviatione* misericordiae et veritatis (in MSS.). —

110. *Tractatus de Ordine vitae* et morum institutione, al.: de *Doctrina puerorum* (vel *religiosorum*); al. de *Verecundia* (vel de *moribus*) *adolescentum* (confectus a quodam monacho O. s. B.). —

111. *Tractatus de Osculo justitiae et pacis* (in MSS.). —

112. *Tractatus de Passione Domini* super „Ego sum vitis vera"; al. *Sermones duo in Passione Domini*, 1. Jesum Nazarenum (vid. 88); 2. Ego sum vitis vera. (Est „cujusdam auctoris pii, nec indocti nec inelegantis"). —

113. *Tractatus de XII Periculis*, quae superveniunt peccatoribus in ultimo fine; al.: *De XII Doloribus*, quos patitur peccator in mortis hora; al.: *De Extremo judicio.* —

Tractatus de Praecipuis mysteriis, vid. 35. —

114. *Tractatus de Quatuor gradibus violentae caritatis* (est Hugonis a S. Victore). —

115. *Tractatus Quomodo homo compati debeat* Christo crucifixo (in MSS.). —

116. *Tractatus de Sacra religione.* —

117. *Tractatus de Statu virtutum* humilitatis, obedientiae, timoris et caritatis (in novitiorum usum a quodam monacho O. S. B. scriptus). —

Tractatus Utilis ex verbis Bernhardi, vid. 47. —

118. *Tractatus de Vita* et moribus (in MSS.). –
119. *Tractatus* (seu: *Scriptum* quoddam) *contra Waldenses* (est Bernardi, abbatis Fontis-Calidi). –
De *Trina qualitate lacrimarum*, vid. 74. –
De *Triplici statu* amoris, vid. 9. –
De *Verecundia adolescentum*, vid. 110. –
Visio S. Bernardi de vivo et mortuo, vid. 15. –
120. *Vita S. Melchiadis Papae* (sub quo alii S. Malachiam, alii Melchiadem, monachum Claravallensem, latere suspicantur). –
Vitae Monasticae ritus, vid. 44. –
Vitis Vera, vid. 112. –

Poemata S. Bernardo adscripta.

Ullum illorum ab eo compositum fuisse demonstrari nequit, quamquam nonnulla nec ejus *pietate* indigna sunt, nec ab indole viri abhorrent, quem *mellifluum* appellamus. Sequuntur ordine literarum primi versus vocabuli; plura leges in Indice Bernardino.

1. Oratio de gratiarum actionibus:
Ad beatae Trinitatis
Simplicisque deitatis
Sempiternam gloriam. –
2. De ingressu claustri:
Ad quid venisti, frater, meditare frequenter. –
3. Antiphona de B. Maria:
Alma Redemptoris mater, quae pervia coeli. –
4. Oratio ad tres personas Trinitatis:
Alpha et Omega, magne Deus. –
5. *Amor Jesu dulcissime.* –
6. *Ave Dei mater alma*
Certa spes fidelium. –
7. Salutatio de passione et vita Christi, al.: Sertum Christi:
Ave Jesu conditor, veritas et vita,
Via, virtus, gratia, salus infinita. –
8. Antiphona de B. Virgine:
Ave Maria, alta stirps lilii castitatis. –
9. Antiphona de B. Virgine:
Ave Maria, ancilla sanctae Trinitatis humillima. –
10. (Longe antiquius poema):
Ave, maris stella. –
11. De Incarnatione Salvatoris nostri familiarissimum Dulciloquium:
Ave, puer parvule,
Coelorum rex sublimis. –

12. Antiphona de B. Virgine:
Ave, Regina coelorum,
Ave, domina angelorum. –
13. Rosarium, al.: Crinale; al.: Sertum B. Mariae V.:
Ave, salve, gaude, vale,
O Maria, non vernale. –
14. Psalterium B. Mariae V.:
Ave virgo virginum, Ave via morum. –
15. Carmen paraeneticum ad Rainaldum; al.: Liber Chartulae; al. (Libellus metricus) de Contemptu mundi:
Chartula nostra tibi mandat, Rainalde, salutes. –
16. Formula vivendi; al.: Vita Religiosorum; al. Instructio contemplativae vitae:
Christus nobis tradidit formam hanc vivendi. –
17. *Cor, arca legem continens.* –
18. Disputatio inter matrem Crucifixi et crucem:
Crux, de te volo conqueri,
Quid est, quod in te reperi. –
19. Sequentia de die judicii:
Cum recordor moriturus,
Quid post mortem sim futurus. –
20. *Cum sit omnis homo foenum*
Et post mortem fiat coenum. –
21. (Fragmentum rhythmi de Contemptu mundi (Vid. 44):
Cur mundus militat sub vana gloria. –
22. *Dic, homo, cur abuteris Discretionis gratia.* –
23. Oratio S. Bernardi:
Dulcis Jesu, in adjutorium meum intende
Et a cunctis hostibus et periculis me defende. –
24. *Epitaphia* Hugonis de S. Victore et S. Malachiae. –
25. Speculum divini amoris:
Erant duo socii in habitu claustrali
Qui omne tempus ocii fervore spirituali. –
26. De fide sanctae Trinitatis, al. Carmen de divina essentia:
Esse quod est, ex se Deus est, per se datur esse. –
27. Antiphona de B. Virgine:
Est tibi, o piissima, quasi osculum Imprimere. –
28. De multimodis erroribus humanae fragilitatis:
Flete, perhorrete, lugete, pavete, dolete,
Flenda, perhorrenda, lugenda, pavenda, dolenda. –
29. Canticum B. Bernardi de laude B. Mariae V. ad septem horas canonicas:
Gaude, plaude, clara rosa,
Esto moesto cara prosa. –
30. Dulciloquium (al. Soliloquium) S. Bernardi ad B. Virginem:
Gaude sedens in decore,
Semper ardens in amore. –

31. Dogma (seu Modus) vivendi:
Haec tibi vivendi sit formula proficiendi. —
32. Bernardus in persona Christi:
Homo vide, quid pro te patior,
Si est dolor, sicut quo crucior. —
33. Jubilus Bernardi, seu: Stimulus compassionis de nomine Jesu:
Jesu Christi celeri miseratione
Et Mariae virginis intercessione. —
34. Jubilus rhythmicus de Nomine Jesu; al.: Cursus de aeterna sapientia; al.: Hymnus devotissimus, quem ad communionem instituit decantari; al.: Jubilus in commemorationem Dominicae passionis; al.: Meditatio cujusdam s. virginis de cruce Christi:
Jesu, dulcis memoria. —
35. Prosa (rhythmica) in laudem Dominicae nativitatis:
Laetabundus exultet fidelis chorus, Allcluia. —
36. *Lux alma.* —
37. Oratio ad Mariam:
Mole pressus hujus miseriae,
In qua sede privatus gloriae. —
38. Hymnus de S. Malachia:
Nobilis signis, moribus suavis. —
39. Floretus:
Nomine floretus liber incipit ad bona ce(p)tus. —
40. Exhortatio ad novitios:
Novitii, dulces mei,
Plantati in domo dei. —
41. *O Christi longanimitas Et longa exspectatio.* —
42. Planctus S. Bernardi:
Olim nostrum ordinem principes amabant. —
43. Mariale, al.: Liber de laudibus B. Virginis:
Prologus: *O lumen verum, quo lux est facta dierum,*
Lumen praeclarum, sapientia, fons animarum.
Poema: *Ut iocundas cervus undas*
Aestuans desiderat. —
44. Rhythmus de Contemptu mundi (Bernardi Morlanensis? Damasi P. M.? Hincmari Remensis? Johannis de Garlande?).
O miranda vanitas,
O divitiarum. —
45. Planctus B. Mariae:
Planctus ante nescia. —
46. Sequentia de die judicii. De divite mortuo:
Quando dives moritur,
In tres partes dividitur. —
47. Torneamentum:
Quando nocte video in choro conventum,
Ad laudem dominicam quemlibet intentum. —

48. **In Epiphaniam:**
Quicumque coelum quaeritis,
Oclos in altum tollite. –

49. Hymni. 1. *Recordare frater pie.*
2. *Recordare sanctae crucis.* –

50. Rhythmica oratio ad unum quodlibet membrorum Christi patientis et a cruce pendentis. („Oratio divina et devotissima, quam fecit S. Bernardus, quando imago Salvatoris solutis brachiis de cruce amplexata est eum").

Ad Pedes: *Salve mundi salutare.*
Ad Genua: *Salve, Jesu, rex Sanctorum.*
al.: *Salve, salve, rex Sanctorum.*
Ad Manus: *Salve, Jesu, pastor bone.*
al.: *Salve, salve, Jesu bone,*
vel: *Manus sanctae etc.*
Ad Latus: *Salve, Jesu, summe bonus.*
Ad Pectus: *Salve, Salus mea, Deus.*
Ad Cor: *Summi Regis cor aveto.*
Ad Faciem: *Salve, Caput cruentatum.* –

51. Deliciae Mariae Virginis, al.: Jubilus S. Bernardi ad B. Mariam Virginem de omnibus deliciis ejusdem:
Salve, sancta mater Dei,
Radix vitae, robur spei. –

52. Rhythmi veteres de vita monastica, al.: Dictamen ad religiosos:
Si vis esse coenobita,
Hujus vitae viam vita. –

53. Metra pro aedificatione morum omnium Deo dedicatorum:
Si vis gaudere, studeas in pace silere. –

54. Oratio devota ad Dominum Jesum et B. Mariam:
Summe summi tu Patris unice,
Mundi Faber et rector fabricae. –

55. Planctus Bernardi, al.: Granum passionis:
Te ut in memoriam revocem, Salvator,
Mihi benignissimus adsis consolator. –

56. Exhortatio ad contritionem:
Tu qui juste vel injuste. –

57. Visio Philiberti:
Vir quidam exstiterat dudum heremita,
Philibertus Francigena, cujus dulcis vita,
Dum in mundo viveret, se deduxit ita. –

II

De editionibus Operum S. Bernardi variisque libris de eo scriptis

1. Saeculo XV.

Quae supra recensuimus Opera D. Bernardi cum genuina tum supposita tribus, quae ab ejus morte ad inventionem *artis typographicae* transierunt, saeculis – praesertim ope monasteriorum Ordinis Cisterciensis illa aetate florentissimi — longe lateque propagabantur, id quod catalogi codicum in illis adhuc adservatorum abunde comprobant; accedunt ordinum reliquorum — a quibus S. Bernardus nunquam exsulavit, ecclesiarum cathedralium, virorum eruditorum bibliothecae exemplaribus satis refertae, et immensa nominis gloriosi auctoritas, qua Doctor Mellifluus ubivis valuit. Hinc non tantum facile liquet, quod opera illa mox *prelis* subdebantur, sed etiam illud, quod antiquissimi libri divina illa arte producti neque scripta omnia neque omnibus numeris absoluta complectebantur; dispersa enim per codices et crebro invicem separata prius colligenda, librariorum autem incuria passim obtruncata et mendis polluta ad integritatem et puritatem primaevam revocanda erant. Illud saeculo decimo sexto, hoc decimo septimo industria et sagacitate editorum perfectum est.

Editionum Bernardinarum quae omnium *prima* exstiterit, certa fide asseri nequit, cum septemdecim, quae antiquissimae habentur, nomine typographi et anni locique notis careant, quod praesertim propter editionem principem (CCLXXXXVI) epistolarum (vid. Bibliographiae Bernardinae Num. 3) et opuscula (vid. N. 7) dolemus; sed tamen locus ille competere videtur „*Speculo de Honestate vite*“ (cui „Octo puncta mediante [!] quibus perueniтur ad perfectionem vite spiritualis“ adjuncta sunt), quod *Moguntiae a Petro Schoeffer* circa annum 1464 impressum esse volunt. Cui immortalis memoriae viro prima cunctis notis typographicis instructa debetur editio, scil. *Sermonum* (CLXXX) de Tempore et de Diversis nec non sermonum (de Laude novae militiae) ad milites Templi et (de Conversione) ad Clericos, quam „Anno natiuitatis christi . *M . cccc . lxxv* . decimaquarta die mensis aprilis In nobili urbe *Maguncia* feliciter consummauit“ (N. 30). Equidem etiam *post* dictum annum non desunt editiones vel una alterave vel quavis nota typographica destitutae; verum numerus iis instructarum haud exiguus est et cunctae, quas aevo „incunabulorum“ in lucem emissas reperimus, computatae sunt CCLXXXXI, inter quas utique complures *Sermones de S. Bernardo* habiti iterumque impressi et *vitae* ejusdem breviores, quas ex instituti nostri ratione suscipi oportuit.

Praeter sermones, epistolas et opuscula supra commemorata (NN. 3. 7. 30) inter illius temporis editiones *genuinorum* operum S. Bernardi notatu digniores sunt hae: sermonum in cantica (NN. 60. 68. 162. 207. 240); sermonum de tempore, de sanctis et de diversis (NN. 61. 62. 168. 171. 179. 208); epistolarum (NN. 58. 146. 147); opusculorum (NN. 128. 172. 173). Accedunt libri V de Consideratione ceteris frequentius impressi (NN. 20. 37. 56. 78. 88. 242. 243. 253. 254. 255).

Ex *suppositis* saepe typis exierunt: Bernardus de Contemptu mundi, Epistola ad Raimundum (de cura rei familiaris), Floretus, Meditationes, Modus vivendi ad sororem, Planctus B. Mariae V., Sermo de humana miseria, Speculum de honestate vitae; eadem uti et genuina *versa* sunt in anglicam, belgicam, gallicam, germanicam, italicam, saxonicam linguam.

Porro impressi sunt *libri scriptis S. Bernardi adhibitis exarati*, quales sunt (sic dictae) Passiones (N. 49 etc.), Hilarionis Flores in laudem B. Mariae V. (N. 150), Socci Sermones de sanctis flosculis D. Bernardi exornati (N. 77), Precordiale Sacerdotum (N. 111) et nonnulla apud Dionysium Carthusianum (N. 273), Petrum Alliacum (N. 119), Sebastianum Brant (N. 226), atque *Libri precum* pari ratione compositi (NN. 11. 79). Accesserunt breves divi viri *Vitae* in Passionalibus et Vitis Sanctorum (NN. 25. 26) atque Legendariis, ut Jacobi de Voragine (N. 71); *Sermones panegyrici* eidem dicti, e. g. a Leonardo de Utino et Johanne Gersonio, saepissime editi (NN. 18. 73 etc.), a Jordano de Quedlinburg (N. 74) etc., nec non *poemata* ei dicata, uti celeberrimum Philothei monachi (N. 159), iterum iterumque impressum; tandem nonnulla *de doctrina S. Bernardi* edita sunt ab Henrico de Hassia (N. 47), Petro Aureolo (N. 112).

Qui Petro Schoeffer aequales suppares que fuere *typographi*, de variis illis operibus prelo submittendis egregie meruerunt; (*nomina* et *sedes* eorum lege in Indice nostro sub vocabulo „Typographi"). Certe D. Bernardum non parvo fervore prosecuti sunt, qui novissima arte usi brevi vix XL annorum spatio fere universa ejus opera genuina et supposita — quamquam non unita – innumeris lectoribus accessa reddiderunt; successorum saeculo proximo viventium erat *disjecta membra* in *unum corpus* ita colligere, ut falsa a veris separarentur veraque notis illustrarentur, quod praestiterunt. —

2. *Saeculo XVI.*

Praegressis *Opusculorum* collectionibus praestantissimis, a Petro Drach anno 1501 Spirae (N. 299), a Luca Antonio de Giunta Venetiis a. 1503 (N. 317) emissis, jam anno 1508 insigne volumen Parisiis lucem conspexit, quod omnes S. Bernardi sermones tum tempore notos (CCXXXVII) – genuinos et suppositos, CCCL epistolas et universa ejus opuscula aliaque (sub N. 350 legenda) complectens *prima editio operum omnium* jure

vocatur. Appellatur illa etiam *seraphica* ab hisce verbis in extremo libro positis: „Melliflui doctoris diui Bernardi *seraphica scripta* cum archetypis bibliothece clareuallis *a quibusdam eiusdem domus monachis emendata*" – non solum sed etiam „ita *recognita:* ut que *vera* ipsius auctoris, queque *ascriptitia* fuerint lector quam facillime agnoscat"; ex quibus quantum meritum monachi illi de divo parente patronoque sibi collegerint, facile patet. Scriptis edendis „curam et industriam" impendit „*Andreas Bocardus,* artis impressorie peritissimus: impensis *Johannis parui* bibliopole", et „*Iudocus Clichtoueus* Neoportuensis benignis lectoribus" editionem commendavit, quae iterum anno 1513 (N. 379) Parisiis et paulisper aucta dicto Clichtoueo, Bertholdo Rembolt et Johanne Cleyn cooperantibus a. 1515 Lugduni (N. 388), a. 1517 Parisiis (N. 402) et annis 1520, 1538, 1546 rursus Lugduni typis prodiit (NN. 423. 484. 504). Interim „*Lambertus Campestris et Laurentius Dantiscenus* Germani, sancti Bernardi cultores deditissimi" iidemque monachi Claravallenses, opera illa „diligenter recognita et annotamentis candidiorum sententiarum illustrata" atque „repertorio syncere fidei restituto" anno 1520 Lugduni imprimi fecerunt (N. 422), quae editio – „omnium emendatissima" a Mabillonio appellata – repetita est anno 1530 (N. 462). Judoci *Clichtovei* manum castigantem produnt Opera annis 1527, 1536, 1540, 1544 edita (NN. 452. 476. 486. 491); *Francisci Comestoris* (qui tractatum „de Amore Dei" aliaque duo opuscula addidit): editiones annorum 1544 (N. 492), 1547 (N. 508), 1548 (N. 510), 1549 (N. 515), 1551 (N. 526), 1552 (N. 534), 1561 (N. 561), 1566 (cum appendice *Pamelii,* N. 579), 1575 (N. 620), 1583 (N. 661), 1596 (N. 726); quae „Opusculis quibusdam et sermonibus" aucta Venetiis a. 1550 emersisse legitur (N. 519), editoris nomen tacet. Praeter illos correctores et editores eruditissimos non parum de Operibus D. Bernardi summa diligentia recognitis alioque ordine: ut sermones, epistolae, tractatus praecederent, adulterina et historica sequerentur, dispositis meruerunt *Antonius Marcellinus* annis 1552 (N. 532), 1558 (N. 554), 1566 (N. 578), *et Joannes Gillotius* annis 1572 (N. 610), 1576 (N. 625), 1586 (N. 678); Venetae editionis anni 1568 (N. 588) auctor latet.

Primarii saeculi XVI *typographi et librarii:* Claudius Chevallon (ejusque vidua Carola Guillard), Johannes Cleyn, Guillelmus Desboys, Jacobus Giunta, Johannes et Basilius Hervagii, Guillelmus Merlinus, Sebastianus Nivellius, Dominicus Nicolinus, Audoenus Parvus, Johannes Parvus (Petit), Nicolaus Petit, Bertholdus Rembolt, Johannes Roigny, Damianus Zenarius, Fabius et Augustinus de Zopinis — Antverpiae, Basileae, Lugduni, Parisiis, Venetiis sedentes — volumina nitidissima ex officinis suis D. Bernardi cultoribus tradiderunt; omnium autem editionum illius saeculi elegantissima exstitit, quae anno 1586 sub signo „Magnae Navis" Parisiis orta est.

Praeter editiones universales (sunt autem super XXXII recensitas aliae XVI vel incertae originis [III] vel prorsus dubiae [XIII]) permultae *singulorum operum* S. Bernardi typis excusae sunt, maxima cum industria emendatae, inter quas libri V de Consideratione et ex spuriis Epistola ad Raimundum, Floretus, Meditationes, Modus vivendi et Planctus B. M. Virginis ceteris frequentius apparent. *Usus* omnium in variis precum et meditationum libris perduravit ipsique veteris fidei desertores ad S. Bernardi theologiam provocarunt atque de ea una cum Tauleri et Lutheri doctrina disseruerunt; *viri literati* a Trithemii aevo de doctore eruditissimo scripserunt isque *orationibus* et *poematibus*, imo et *scenicis* actionibus celebratus est; qui *vitas* longiores exararunt, scriptoribus saeculi XII innituntur. *Linguae* versionum aliorumque librorum ad s. Bernardum spectantium sunt anglica, belgica, bohemica, gallica, germanica, hispanica, italica, lusitana, saxonica, suecica. –

3. *Saeculo XVII.*

Ex editionibus a viris doctissimis saeculo XVI sensim prelo traditis solam *Gillotii* anno secundo saeculi XVII (N. 756) Parisiis iterum prodiisse opinamur; novi enim surrexerunt D. Bernardi editores, antecessoribus arte critica longe majores, *aerae editionum* – non a numero sed ab earum pretio appellandae – conditores, a nullo successorum superati.

Primus fuit *Edmundus Lancelotus Tiraqueau* (Tiraquellus), Ordinis nostri sodalis, qui D. Bernardi Opera recognita et aliquot epistolis augmentata Parisiis a. 1601 (N. 748) imprimi curavit. Adjectis notis *Joannis Picardi* et postea etiam additamentis *Henrici Sommalii* S. J. Antverpiae et Parisiis prelo exierunt annis 1609 (NN. 818. 819), 1615 (N. 863), 1616 (N. 869), 1620 (N. 898. 899), 1621 (N. 908), 1632 (N. 960), 1640 (N. 992); singularis editio *Johannis Baptistae Carminati* curis a. 1616 Venetiis ex typographia Salicata prodiit (N. 870).

Dictos viros a. 1641 superavit *Jacobus Merlo, Horstius*, B. M. in Pasculo Coloniae pastor doctissimus, cujus editionem Mabillonius „optimam omnium et accuratissimam“ vocavit. Quanti vir ille, ipse summa morum severitate conspicuus, D. Bernardum fecerit, dedicationis verba profitentur, quae ideo lectioni commendamus (N. 1002). Superiorum saeculorum editionibus multisque codicibus collatis aliam rerum partitionem adornavit, epistolis argumenta praemisit, tractatus in capita distinxit, lemmata notasque marginales apposuit, novos eosque locupletissimos indices adjunxit aliaque addidit, quae dicto loco recensuimus. Quod vastum opus, quamquam supposita quaedam admisit neque omnia menda statim expurgavit, jam (ni fallimur) anno 1642 (N. 1008), certe annis 1645 (N. 1026), 1652 (N. 1072), 1658 (N. 1100), 1662 (N. 1121), et non obstante editione Mabilloniana ipso quo officinam reliquit anno 1667 (N. 1155), iterumque a. 1672 (N. 1188)

cum *auctario* rerum post annum 1641 inventarum et accessionibus aliorum, deinde a. 1679 (N. 1285) longe emendatius, tandemque a. 1687 (N. 1292) impressum est, quibus IX (vel X) editionibus ejus valor satis superque comprobatur.

Ast cum Merlo Horstius – XX Aprilis 1644 morte abreptus — quaedam expurganda aliis reliquisset, *Claudius Chantelou* (e congregatione S. Mauri) laborem illum in se suscepit inchoavitque sermonum correctione (N. 1150); ei pariter praematuro fine exstincto successit *Joannes Mabillon*, ejusdem congregationis sodalis, qui Opera S. Bernardi „ad varios codices MSS. collata emendata et aucta" atque in VI tomos divisa duplici editione anno 1667 in lucem emisit: altera duobus voluminibus formae (quam vocant) secundae, altera lectioni magis accommodata novem voluminibus formae octavae constante, quam fuse descripsimus (N. 1154); accessit – sicut ad Horstianam anno 1668 (N. 1167) – index locupletissimus anno 1669 (N. 1170). Quibus haud acquiescens *Mabillonius* studia S. Bernardo dicata assidua qua eminuit diligentia prosecutus anno 1690 novam editionem absolvit, in qua genuina a suppositis severissime distinxit, textum sagacissimo cum ingenio restituit, eruditissimas praefationes, admonitiones, notas et observationes adjunxit, ita ut haec omnium anteriorum et posteriorum praestantissima talisque evaserit, cujus valor nullo unquam tempore sit interiturus. (Vid. N. 1306). Clausit illa saeculum XVII, quod XXXVIII editiones produxit, quarum XXIV supra enumeratae sunt, duabus incertae originis et XII dubiis hic praetermissis, in Bibliographia adnotatis.

Illa autem optimarum editionum aera augendae S. Bernardi gloriae et auctoritati valde profuit. Ut universa ita *singula* quaeque ejus opera multorum curis eximiis impressa sunt – Meditationibus ab Henrico Sommalio S. J. editis primum inter illa locum occupantibus, nonnullique ad *versiones* non tantum illorum sed omnium simul operum exarandas se accinxerunt; *vitas* S. Bernardi majores scripserunt Josephus de Almonazid (N. 1253), Petrus Chicheré (N. 749), Gonzalez de Perales (N. 750), Antonius Le Maistre (i. q. Lamy, N. 1041 etc.), Johannes Franciscus Mainardus (N. 1084), Philippus Malabaila (N. 890), Angelus Manrique (in Annalibus Ordinis Cisterciensis (N. 1011) et alii sermone soluto ligatove; complures studia sua ad historiam *familiae* et loci natalis ejus converterunt (NN. 785. 964. 966. 1079. 1111); de *theologia* doctoris nostri scripserunt Anonymus quidam A. B. I. (N. 1364), Laurentius Bertrandus Apusius (N. 1213), Franciscus Bivarius (N. 932), Bernardus Bogdanovitz (N. 1347), Albericus Burghoff (N. 1045), Chrysostomus Henriquez (N. 934), Ignatius Huart fervente lite Jansenistica (N. 1047. 1081), Theodorus Petraeus (N. 790), Theophilus Raynaudus (N. 1146), Bernardus de Ribera (N. 927), Bertrandus Tissier (N. 1068), Johannes Windeck (N. 776); *elogia* divi viri et *scenicae* repraesentationes non

II*

defuerunt! Qui libri compositi sunt his linguis: anglica, belgica, bohemica, danica, gallica, germanica, hispanica, hungarica, islandica, italica, lusitana, polonica, saxonica, sinensi (in MSS. Julii Aleni), suecica, eorumque haud pauci monachis Cisterciensibus originem debuerunt. –

4. *Saeculo XVIII.*

Alteram editionem Mabillonianam tertia anno 1719 excepit, *Renati Massuet* et *Francisci Le Texier* curis paullisper aucta (N. 1455), mendis vero typographicis abundans, quae — novis S. Bernardi epistolis ab Edmundo Martène et Ursino Durand a. 1724 vulgatis ditata (N. 1489) iterum ac saepius impressa est Venetiis annis 1726 (N. 1498), 1750 (N. 1641) – curantibus *Johanne Illuminato Mazzuccato* et *Antonio Bernardini,* 1760 (N. 1692), 1765 (N. 1718), 1781 (N. 1791), eadem fortasse cum Veronensi anni 1726 (N. 1499). Ad quas VII operum omnium editiones (praeter unam dubiam N. 1687) accesserunt quidem numerosae singulorum S. Bernardi librorum, versiones eorundem, panegyrici, vitae nonnullae populares, ut Francisci Josephi Bourgoing de Villefore, Eugenii de Corral, Petri Magagnotti — sed valor illarum rerum ita exiguus est, ut auctoribus concertantibus *Caroli Clémencet* Historia literaria S. Bernardi et Petri Venerabilis (N. 1762) palmam facile accepisset. Quae pauca de saeculo XVIII. –

5. *Saeculo XIX.*

Editiones *universales* Operum S. Bernardi si spectemus, saeculum quo vivimus elapso haud superius est: non imprimitur nisi Mabilloniana, partim suppositis ejectis *sola genuina* scripta exhibens, ut annis 1835 (N. 1978), 1836 (N. 1987), 1845 (N. 2108), 1854 (N. 2218), 1863 (N. 2361); partim integra complectens, ut a. 1839 Parisiis (N. 2018), quam quartam Mabillonianam appellant, et a. 1850 Mediolani (N. 2166), mendis plurimis non carens; partim aliis sed raris et pretiosis additamentis adaucta, verum neque carta neque typis nec correcta impressione commendata, ut est *Migneana* annis 1854 (N. 2217), 1860 (N. 2306), 1879 (N. 2584) Parisiis in lucem data. Ad quas decem editiones accedit versio gallica a cll. viris Petro Dion et Charpentier (N. 2499 etc.) elaborata atque textu latino comitante publici juris facta; tandem commemorare juvat duas editiones Operum omnium inchoatas sed ultra tomum primum non productas (NN. 2174. 2339).

De quibus cum saeculum decurrens gloriari nequeat, longe majus meritum de S. Bernardo immensa aliorum operum mole sibi collegit. Ut de editionibus *singulorum* illius scriptorum, eorum *versionibus* innumerisque precum et meditationum libris,

doctoris melliflui verbis non parum ditatis, nihil dicamus: permultae *vitae* ejus variis hominum generibus et aetatibus destinatae, non tantum breviores sed etiam majores, in lucem emerserunt, fontium studiosissime investigatorum testes perfectaeque (quam desideramus) historiae S. Bernardi praecursores, quales composuere viri clarissimi G. Chevallier, anonymus monachus Lerinensis, Jacobus Cotter.Morison, Augustus Neander et Theodorus Ratisbonne – quorum posteriorum libri in anglicam, belgicam, gallicam, germanicam, hispanicam, italicam linguam versi sunt; adjicimus, quae Georgius Hüffer et Eduardus Vacandard – exquisitae doctrinae homines — magnam S. Bernardi historiam meditantes, quae doctissimi viri C. L. F. Daunou, Carolus Josephus Hefele permultique alii rerum gestarum scriptores de s. patroni nostri actis post profundissima studia ediderunt! Neque silentio praeterire licet *panegyricos* a facundissimis hujus aetatis oratoribus S. Bernardo dictos, frequentissimos tractatus de ejus theologia, philosophia et eloquentia, de antiquissimis operum versionibus earumque indole etc. exaratos et praesertim appropinquante anno saeculari nativitatis S. Bernardi multiplicatos — testes immensae venerationis, qua divus vir ubique terrarum fruitur. Sed propter hos „Bibliographiae" lectores ad indicem Bernardinum remittimus. –

Ex dictis patet, nobis post diligentissimas inquisitiones ex editionibus Operum S. Bernardi inde ab initio saeculi XVI usque ad nostros dies in lucem emissis CIV, seu deductis XXVI dubiis omnino certas LXXVIII innotuisse earumque praestantissimam esse Mabillonianam anni 1690, postmodum auctam hodieque adhuc valentem; porro eandem ad sola genuina opera redactam tribusque tomis formae minoris impressam esse. Sic voto *Bertrandi Tissier* (prioris Boni-Fontis in Therascia Ordinis Cisterciensis, qui ipse novam Operum editionem meditabatur), conquesti (apud Casimirum Oudin in Comment. de Scriptt. eccl. II. 1241): „eo minus legi opera D. Bernardi, quo alienis magis aggravarentur et tumerent, a quibus purganda essent, ut et legentibus taedium tolleretur et ementium pecuniae parceretur, pretii dimidia fere parte imminuta" — satisfactum quidem, sed numerus tomos illos legentium minime auctus est. Cujus rei ratio haec nobis esse videtur, quod, cum vetustiores editiones vasto apparatu et voluminum pondere deterrerent, recentiores propter defectum omnis literarii additamenti eruditiores lectores vix invitabant; unde mediam quasi viam ingrediendam atque novam editionem hac ratione et via adornandam esse opinamur.

Inspectis codicibus operum S. Bernardi in Anglia (et praesertim in bibliotheca Cheltenhamiensi), in Hispania et Italia adservatis — utpote ab antiquioribus editoribus vix aut omnino non adhibitis, *textus Mabillonianus* — quem emendari et posse et debere ex codicibus ad „Sermones" in „Xeniis Bernardinis"

edendos collatis intelleximus – corrigendus est, sed nonnisi in *partibus genuinis,* quae cunctis reliquis excisis solae imprimantur. Introductio de novae editionis origine et consilio, dissertationes de singulis operibus sive admissis sive omissis, adnotationes ad sensum rite intelligendum maxime necessariae — eruditae sed breves – et lectiones variantes gravioris momenti in primum tomum suscipiantur harumque numeri typis minimis expressi locis destinatis apponendi sunt ita, ut lectores non turbentur (prout in „Xeniis" factum est). Opera ipsa sic distribuenda sunt, ut Sermones de Tempore, de Sanctis, de Diversis (nonnullis explosis) et in Cantica Canticorum secundum, tertium et quartum tomum impleant, Epistolae quintum, Tractatus sextum et septimum – tribus ad Epistolas relegatis, in quarum numero olim exstiterunt. Totam editionem claudant *Vitae* S. Bernardi ad fontium fidem redditae. Forma tomorum eligatur octava major (quam vocant), carta solida neque nimis candida, typi sint clari et nitidi; exemplaria maximo numero imprimantur, ut modico pretio venalia ab iis quoque emantur, quibus facultates ad acquirendos libros cariores desunt.

Ejusmodi editionem omnium applausum laturam, eam in domibus non solis confratrum nostrorum sed longe plurium sacerdotum atque in patrias linguas translatam etiam in manibus monialium et quorumcunque saecularium versaturam, sicque tandem S. Bernardum — ut meruit – fidelium saluti profuturum esse persuasum habentes consilium illud cunctis quorum interest ardenter commendamus, toto animo optantes, ut aliquot Ordinis nostri – octavum a fundatione saeculum post septem annos celebraturi – sodales S. Bernardo patrocinante illud feliciter exsequantur! —

III

Bibliographia Bernardina manu scripta

Dissertationes de S. Bernardi operibus eorumque editionibus jam ipsa *Bibliographia Bernardina* sequitur, quam duplicem damus: *manu scriptam* – appendicis instar Introductioni adnexam eamque breviorem, et *typis expressam* — longiorem. Etenim cum ante tum post typographiae inventionem permulti homines utriusque sexus, pii doctique, egregias res de S. Bernardo scripserunt, quae variis ex causis prelo non sunt subductae, omnino autem dignae, ut ad posterorum notitiam perveniant. Quae nobis innotuerunt, in *Bibliographia Bernardina manu scripta* recensemus, dolentes, nos ad plures catalogos codicum perscrutandos — praesertim superioribus quatuor annis – otium necessarium non esse nactos. Itaque lectoribus merum gustum damus, tam propriis studiis ante mortem non exspiraturis, quam cultorum S. Bernardi notitiis, si quae advolaverint, augendum! –

1. — **Aegidius** *de Dammis* (monachus Dunensis O. Cist. et baccalaureus Parisiensis, mortuus a. 1463) praeter alia scripsisse traditur *Vitam S. Bernardi* (quae Vischii aetate amplius non exstabat) et *Directorium Originalium B. Bernardi.* — (Fabricius, Bibl. Lat. I. 53. — François I. 234. — Visch 6). —

2. — **Alanus** *Linensis* (Nordovolgius Anglus, Carmelita, theologiam c. a. 1420 professus) praeter alia *indices* adornavit in tria quaedam *S. Bernardi* opuscula, super „Missus est" et super Cantica. — (Fabricius, Bibl. Lat. I. 94). —

3. — **Alcazar,** *Franciscus* (monachus Hortensis Ord. Cisterc.) a. 1685 in ecclesia S. Mariae de la Almudena Matriti coram animarum curatoribus totius urbis sermonem in honorem S. Bernardi recitavit, quem titulo: *„Sagrada idea de prelados"* manu scriptum in bibliotheca Hortensi adservarunt. — (Muñiz, Bibl. Cist. 11). —

4. — **Aleni,** *Julius* (Brixiae anno 1582 natus, Societatis Jesu presbyter, post XXXVI annos in praedicando Sinensibus evangelio transactos mense Augusto 1649 mortuus, *„Confucius Occidentis"* ab illis appellatus) praeter alia manu scripta et in archivio Romano Societatis Jesu custodita reliquit opusculum *„Xiñg mungco"*, i. e. dialogum inter animam et corpus (*S. Bernardo* attributum), stilo Sinensi poetico elaboratum. — (Cozzano 272. — De Backer II. Éd. I. 64. — Magna Biblioth. Eccl. I. 248. — Peroni I. 24). —

5. — **Attavanti,** *Jacobus* (al. *Tavanti* vel *Attacanti,* Generalis ordinis Servorum B. M. V., natus c. a. 1526, † VI Aug. 1607) exaravit opus: *La vita di S. Bernardo:* Abate di Chiaravalle (MS.). — (Mazzuchelli I. 2. p. 1208. — Negri 321). —

6. — **Azevedo,** *Joachimus Albertus de,* (Canonicus regularis Sanctae-Crucis Conimbricensis, natus Cal. Apr. 1724, professus XI Jan. 1739) reliquit: *Sermões de S. Bernardo, traducidos em Portuguez.* MS. — (Barbosa. — Silva, Dicc. IV. 68). —

7. — **Azitores** (al. *Acitores,* male *Azorites*), *Andreas de,* (monachus Vallis-Ecclesiarum Ord. Cisterc., mortuus a. 1599 in monasterio S. Claudii, theologus et poeta egregius), scripsit *Vitam S. Bernardi* eleganti carmine hispanico, quam manu scriptam periisse refert Robertus Muñiz. — (François I. 83. — Henriquez, Phoenix 230. — Muñiz 4. — Visch 20). —

8. — **Balaguer,** *Balthasar Johannes* (mense Februario 1489 ordinem Cisterciensem in monasterio Vallis-Dignae ingressus et ab. a 1504 ejusdem loci prior) auctor fuit libri dialecto Valentiana compositi et sic inscripti: *Meditaciò* molt devota del Egregi Doctor, y Pare nostre *S. Bernat sobre la Passiò de Jesus,* y *Plant de la sua Verge Madre,* traduit del Latì en vulgar. (Valencià per mi yà nomenàt *Fr. Balthasar Johann Balaguer,* à requesta de una devota Religiosa de la Zaydia [1]). — (Muñiz 40. — Ximeno, Escrit. de Valencia I. 70). —

N. 1. Monasterium monialium Cisterciensium Valentiae. —

9. — **(Barrionovo.** —) *Il Pianto di Maria Vergine,* — *e Meditazione di S. Bernardo sopra lo stesso,* il tutto tradotto in Versi

Italiani dal *P. Don Francesco Barrionovo* (Pugliese). MS. — (Argelati Bibl. de Volgarizz. I. 147; IV. 248). —

10. — **Bartolomeo da Santo Concordio** (*Granchi* appellatus, Ord. S. Dominici alumnus, denatus a. 1347): Libro di *S. Bernardo sopra la Contemplazione della Passione di Cristo; Meditazione* di S. Bernardo *sopra il pianto di Maria Vergine Gloriosa.* Tradotto in Volgare. — (Altamura 119. — Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 142. 144. — Quétif-Echard I. 623). —

11. — (S. **Bernardus**. —) *Alveare melliflui ecclesiae doctoris s. Bernardi,* abb. Claraevallensis, continens lac et mel sententiarum ss. huius abbatis, collectum ab *anonymo* Cisterciensis ordinis *Runensi* (a. 1712). — (Cod. 120 monasterii Runensis. Xenia Bernard. II. pars I). —

12. — (S. **Bernardus**. —) *Annus Bernardinus* anno 1643. (Sententiae ex operibus S. Bernardi derivatae et singulis anni diebus adaptatae. — Cod. D. 1. monasterii ad SSS. Trinitatem Neostadii). — (Xenia Bernardina II. pars I. 283). —

13. — (S. **Bernardus**. —) *Auctoritates in Sermones S. Bernardi super Cantica.* — (Haenel 138, in Cod. biblioth. Carnot.). —

14. — (S. **Bernardus**. —) *Enseignemens de S. Bernard* contenant le regime de toutes manieres de gens. (MS. fol. Biblioth. Baluz. II. Append. 61. N. 394). —

15. — (S. **Bernardus**. *Festum.* —) *Bodogsságus zenth Bernald doktornak Innepeerõl* (i. e. de S. Bernardi doct. festo. — Érdy cod. Nyelvemléktár V. köt). — (*Not.* ex biblioth. monast. Zirc.). —

16. — (S. **Bernardus**. —) *„Flores B. Bernhardi de Passione Domini* anno 1440 conscripti". MS. bibliothecae monasterii Corbejensis in Germania. — (Serapeum III. 101). —

17. — (S. **Bernardus**. *Gratiarum actio.* —) *Zent Bernald doktor hálaadása* (i. e. S. Bernardi gratiarum actio. — Winkler Cod. böl. Nyelvemléktár II. köt). — (*Not.* ex biblioth. monast. Zirc.). —

18. — (S. **Bernardus**. —) Ain *gute und hailsame Ermanung Sant Bernharts* von vierfaltiger Schuld zu sein Brudern gethan und wie unser Will dem goettlichen unterworfen werden soll. (MS. s. XV. 102 ff. 4º). — (Rosenthal Catal. 61. N. 482). —

19. — (S. **Bernardus**. —) *Laus gloriosissimi Bernhardi abbatis Claravallensis* a quodam monacho Cysterciensis ordinis edita.

Inc.: Clare sunt valles quia valles nomine claras etc.

Expl.: Febricitans trepidis edere plura sonis.

Expliciunt versus numero centum minus quatuor cuiusdam amatoris domini Bernhardi. (Cod. S. Crucis 226). — (Xenia Bernard. II. pars I. 178). —

20. — (S. **Bernardus**. —) Das *Leben des Heiligen und Honigsissen Vattern vndt Kirchenlehrers Bernardi,* des hochheiligen Cistercienser Ordens zu Claravall ersten Abbtens. Eingetheilt in 5 Bücher. (Forsitan opusculum *P. Jonae Weichinger,* professi coenobii Cisterc. ad S. Crucem, † a. 1685. — (Cod. S. Crucis 368). — (Xenia Bernard. II. pars I. 208). —

21. — (**S. Bernardus.** *Opuscula nonnulla.* —) Hieronymus *Amati* in praefatione fasciculi LXXII collectionis, inscriptae: „Scelta di Curiosità Letterarie“ (Bologna presso Gaetano Romagnoli 1866), aliquot versionum opusculorum *S. Bernardi* meminit, saec. XV confectarum, quae sunt: Pag. XXVIII: Leggenda della coscienza. Meditazioni di san Bernardo, della cognizione dell' uomo. – P. XXIX: Pistola di santo Bernardo mandata al padre e alla madre d'uno novizio i quali si dolevano parendo loro averlosi perduto. — P. XXX: Trattato della miseria dell' uomo. — P. XXXI: Trattato de' quattro gradi della caritade. –

22. — (**S. Bernardus.** *Opuscula nonnulla.* —) In bibliotheca conventus S. Barbarae Delphis exstiterunt aliquot codices mss. his sub titulis: N. 23. *IV boeken van Sinte Bairnaerts gedachten* (sub quo opere „Meditationes“ latent.). – N. 36. *Sinte Bernaerts sermonen van den advent* (versio sermonum in dominicas de adventu). – N. 44. *Dat boec van der lelye, dat Sinte Bernaert bescrijft* (ea pars „Vitis Mysticae“ seu „Tractatus de passione Domini“, qua castitas virginalis sub *lilii* imagine celebratur). – (Moll: De Boekerij van het St. Barbara-Klooster te Delft [Verhandel. d. Kon. Akad. van Wetensch. I. 1858. p. 12. 29. 38]. Coll. Moll: De Boekerij etc. [Kerkhist. Archief, verzameld door N. C. Krist en W. Moll, IV. Amsterdam 1866. p. 225. 226. 247. 257–258). –

23. — (**S. Bernardus.** *Oratio.* —) *Szent Bernáld doktor imádsága* (i. e. S. Bernardi *Oratio.* — Czeh Cod. 1513. ből. Thewrewk Cod. 1531 ből. Régi Magyar Költők Tára 1. k.). – (*Not.* ex biblioth. monast. Zirc.). –

24. — (**S. Bernardus.** —) De los *pensamientos* que el hombre ò la muger deben tener de si mismos para venir en conocimiento di Dios. (Versio anonymi). – (Nic. Antonius, Bibl. Hisp. II. 269; id. Nova II. 334). –

25. — (**S. Bernardus.** —) *Pianto della vergine Maria,* della morte del suo figliuolo lo quale fece santo *Bernardo.* Inc.: „Chi mi dara al chapo mio acqua“. (Codex MS. Bibliothecae Apost. Vaticanae 56, membr. in 8⁰. saec. XIV; ib. fol. 102 vo). — (Stevenson, Codd. Pal. Lat. I. p. 10). –

26. — (**S. Bernardus.** —) Le *Profezie di S. Bernardo* volgarizzate. MS. fol. – (Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 148). –

27. — (**S. Bernardus.** —) *Remarques sur S. Bernard.* (Haenel 26, in Cod. biblioth. Ambian.). –

28. — (**S. Bernardus.** —) *Remarques* sur S. Grégoire et *sur S. Bernard.* — (Haenel 134, in Cod. biblioth. Carnot.). –

29. — (**S. Bernardus.** —) *Remarques sur les ouvrages de S. Bernard en français.* – Haenel 497, in Cod. biblioth. scholae centralis Vindocini). –

30. — (**S. Bernardus.** —) *Sermones ex S. Bernardi verbis collecti.* – (Haenel 34, in Cod. biblioth. Atrebat.). –

31. — (**S. Bernardus.** —) *Versus* [1]) *reuelati beato Bernhardo a dyabolo* . . qui eos quottidie deuote dixerit non dampnabitur. (Codd. Pal. Lat. Biblioth. Vaticanae, I. 174). –

N. 1. Ib. in alio Cod.: Versus psalterii. –

32. — (**S. Bernardus.** *Vita.* —) S. Bernardi Vita lingua *Sinica* scripta olim in abbatia S. Bernardi ad Scaldim (Ord. Cisterc. in Belgio) asservata fuit eamque a se inspectam esse testatur Cl. Guyton. — (Bouvart [Acta SS. Aug. IV. 252]). — Messager des scienc. histor. de Belg. 1886. p. 174). —

33. — **Bernardus** (Fr.) *de Calatayud*: *Elogios de S. Bernardo.* — (Gallardo II: Indice de MSS. de la Biblioth. Nac. Madrid). —

34. — **Bertarello,** *Johannes-Augustinus a S. Paulo,* (Carmelita-Excalceatus, anno XLIV aetatis II Apr. 1660 mortuus): *Clavis in Opera D. Bernardi.* (MS. in conventu Carmelitarum S. Caroli Mediolanensis). — (Bartholomaeus a S. Angelo I. 322. — Mazzuchelli II. 2., p. 1033: *Bertarelli*, natus a. 1611, † XXI Apr. 1660. — Pinelli 254. — Villiers, Biblioth. Carmelit. I. 741). —

35. — **Bougis,** *Simon* (natus a. 1630, professus Vindocinensis congregationis S. Mauri prid. Non. Jul. 1651, defunctus Cal. Jul. 1714): *Idea Religiosi in operibus S. Bernardi adumbrata.* MS. — (Agricola II. 242. — François III. 493. — Haenel p. 20: „a monacho de Trappa", in Cod. biblioth. Alenconianae; sed ib. p. 214 in Cod. Meldensi: *Bougie*). —

36. — **Bourlé,** *Jacques* (Dr. theol. et parochus ad St. Germanum-Veterem [St. Germain-le-Vieil] Parisiis), praeter complura typis edita scripsit et prelo destinavit:

„*Tous les Sermons de S. Bernard,* en un tome; *les Secrets du dit* S. Bernard, avec scholies et argumens; le *Mépris du monde,* attribué à S. Bernard". — (Rigoley de Juvigny, Bibl. franç. de la Croix I. 396). —

37. — **Bouvart,** *Godefridus* (monachus S. Bernardi ad Scaldim Ord. Cisterc.), „observatione non indiligenti usus est, ut impressorum operum (S. Bernardi) exemplaria bene multa ac varia cognosceret et adnotaret. Eorum catalogus" (quem „Acta Sanctorum" moderantibus XV Martii a. 1737 misit) „incipit ab editione Moguntina a. 1475 ac desinit in Mabilloniana a. 1719 recusa Lutetiae Parisiorum, ita ut editiones omnino quadraginta diversas designet", quas in Actis SS. redditas non esse dolemus. Misit autem eisdem Bouvartius etiam „de biographis recentioribus notitias", ex quibus viginti-duas exhibent, a nobis suis locis allegatas. — (Acta SS. Aug. IV. 236. 252). —

38. — **Bruni,** *Dominicus* (conventus Pruliani Ord. Praed. prior et sanctimonialium ibidem degentium spiritualis minister, florens a. 1685), reliquit librum MS.:

„*Exercices du tres saint Sacrement de l'autel sur les paroles de S. Bernard, Sanctum Sanctorum,* dulcedo dulcedinum, miraculum miraculorum et amor amorum ardentissimus". Inc.: „Pense mon ame, que tu t'en vas recevoir la source, l'origine, et la fontaine de toute sainteté". Est „Spiritualis animae devotissima mysterii hujus consideratio et meditatio quatuor capitibus distincta". — (Quétif-Echard II. 482). —

39. — **Calidonius,** *Rudolphus* (literarum et artium professor Perusinus, anno aetatis XXVII mortuus), scripsit metrice: *De Laudibus S. Bernardi Clarevallensis.* — (Joecher, Allg. Gel. Lex. I. 1563). —

40. — **Caramuel et Lobkowitz,** *Johannes* (in Catalogo operum suorum Francofurti publicato et a Vischio exscripto sic loquitur):

„*Bernardus*. Multum olim in Bernardi castigatione et illustratione elaboravi; multa etiamnum habeo parata, multa diebus singulis occurrunt, quae poterunt intento prodesse. Sed quia dare jam non potero Bernardum, qualem volui, dabo, qualem per tempus licuit, et qualem volebam explicabo; si forte alius, aut Ego alias, possim hunc laborem subire.

Distinxi Opera D. Bernardi in Paragraphos et singulis subscripsi Authores Catholicos et Acatholicos, qui illos citarunt, et eorumdem Expositiones recognovi et ad limam reduxi, laudando aut vituperando, quae digna videbantur censura. Addidi Indices, Grammaticum, Logicum, Physicum, Metaphysicum, Theologicum, Canonicum, Medicum et Scripturarium. Apparavi quam multa, et si tempus et quies faveant, resumam iterum, cum taedio tamen; mihi enim molestissimum est, quae scripsi et perierunt, rescribere, et ex tanto apparatu perditi sunt Codices multi, Musaeo hinc illuc, prout bella coegerunt, translato“.

Quae qui legerit, *Johannis Caramuelis* et *Bertrandi Tissier* consilia ad opera S. Bernardi spectantia ad effectum non pervenisse dolebit! (Visch 197. – Vid. Bibliogr. Bernard. N. 983). –

41. — **(Chasteau**[1]**).** —) *Intercalares Occupationes Religiosae Superioris ac Inferioris* sive Requisita ad socialem vitam religiose ac beate vivendum. Juxta principia *Divi Bernardi*. Arbitror, quod tu qui in congregatione es, bene vivis, si vivis humiliter Deo, ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo. – 8°. 358 pp. — (De Backer II. Éd. I. 1220). –

N. 1. MS. bibl. publicae Aquisgranensis *P. Lamberti Chasteau* S. J., nati a. 1669, ingressi in Soc. J. a. 1687, † XXII Jan. 1740. –

42. — **(Chiero.** —) *Meditazioni di S. Bernardo*, tradotte in Italiano per *Frate Chiero* dell' Ordine di Santo Salvatore. MS. — (Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 145). –

43. — **Claravallensis** (in Gallia) quidam monachus *anonymus* teste Vischio (ex Seguini „Bibliotheca“ manu scripta) exaravit et in VII libros digessit *vitam S. Bernardi*, quorum duos posteriores ipse auctor Gallico sermone donavit. – (Visch 76). –

44. – **Conganus** (monachus Cisterciensis, dein coenobii Suriensis abbas) scripsit (secundum Thaddaei Dowling Annales Hiberniae MSS.): *Gesta S. Bernardi*; verum legendum est: Gesta *Malachiae*, pro S. Bernardo, ejusdem historiam scripturo. – (Visch 80. - Waraeus, De Scriptt. Hib. 56). –

45. — **Corradus,** *Fulvius* (Perusinus clericus, flor. 1606), metrice scripsit . . . „libros de *Gerardo, fratre S. Bernardi*, Abbatis Claraeuallensis, converso ad Christum“. (Qui utrum impressi fuerint nec ue, Oldoinus in „Athenaeo Augusto“, p. 127, non addit). —

46. – **Cristannus** (monachus Campililiensis Ord. Cisterc. c. finem s. XIII): *Laudes beatae Mariae Virginis* haustae ex operibus

S. Bernardi et ex patribus. (Cod. 145 monast. Campilil.). — (Xenia Bernard. II. pars I. 531.) —

47. — **Cuniliati,** *P. Fulgentius* (Ord. S. Dominici ex congregatione Observantium), editionem *versionis epistolarum S. Bernardi* moraliter adnotatarum paravit, quam se vidisse Johannes Sianda testatur. — (Paitoni, Bibl. Volgarizz. I. 168. — Vid. Bibliogr. Bernard. N. 1677). —

48. — **Dini,** *Petrus* (archiepiscopus Firmanus, defunctus XIV Aug. 1625): *Volgarizzamento delle Lettere di S. Bernardo. — Trattato della Nobiltà dell' Anima di S. Bernardo.* Volgarizzamento. Parte del Capitolo III delle „Meditazioni piissime". (An vero etiam hujus ut aliorum tractatuum S. Bernardi versiones, quas Petrus Dini possederat, ipso auctore confectae fuerint nec ne, latet). — (Negri 463. 539. 541). —

49. — **Durandus,** *Matthaeus a S. Benedicto,* (congregationis Fuliensis presbyter [Vid. Bibliogr. Bernard. N. 1255]), meditatus est *„Theologiam ad mentem Divi Bernardi"*. Hoc certo asserit Morotius (Cist. 127), illam autem confectam fuisse non legimus. —

50. — **Ecclesia,** *Franciscus Scipio ab,* (Italis: *della Chiesa,* abbas Maceriarum, Stafardae etc., natus X Oct. 1549, mortuus XXIII Mart. 1578), *Vitam S. Bernardi* scripsisse legitur. — (François I. 287. — Ughelli I. 1233). —

51. — **Franchi,** *Gasparus* (Asisias, monachus conventualis ordinis S. Francisci, vestitus III Febr. 1601, tandem provincialis Terrae-Sanctae constitutus a. 1641), manu scriptum reliquisse legitur tractatum *„in unam ex epistolis S. Bernardi"*. — (Franchini 276. — Sbaralea 299). —

52. — **Franciscus Dionysius** (Fanensis) *„Decameron spirituale* italice ac satis eleganti sermone conscripsit, quo centum colloquia ad explodenda *Decameronis Johannis Bocacii* colloquia continentur, sic ut agat (e. g.) secunda die: De humilitate ex S. Thoma, de XII eius gradibus ex D. Benedicto ... deinde *de tribus humilitatis gradibus ex D. Bernardo"*. — (Possevin. App. I. 580). —

53. — **Gabas,** *Bernardus* (monachus et post abbas Labaciarum [Ord. Cist.], doctor et professor in universitate Ilerdensi), varios sermones annis 1676 et 1677 habuit, inter quos „Sermon de S. Bernardo Abad". MS. — (Muñiz, Bibl. Cist. 147). —

54. — **(Galli. —)** *Il Pianto della Madonna,* tradotto in Versi Italiani, cioè in ottava rima dal P. *Domenico Galli*[1]) Monaco Cassinense, colle *Meditazioni di S. Bernardo* sopra lo stesso. MS. — (Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 147). —

N. 1: Romanus, ordinem ingressus a. 1633. —

55. — **Galli,** *Georgius* (AA. LL. magister Pragensis et poeta laureatus, anno 1633 Culmbaci degens), exarasse legitur *bohemicam versionem* cancionum ecclesiasticarum, inter quas carmen „Jesu dulcis memoria", *S. Bernardo* attributum, occurrit. MS. — (Balbini Bohemia Docta, ed. Ungar, II. 297. 362. — Časopis česk. Mus. 1850. p. 223. — Jireček I. 1, p. 900). —

56. — **Geistliches Myrrhen-Büchelein,** darin zu finden, wie das *Fest des Kirchenlehrers Bernardi* unsers heil. Vaters würdig und andaechtig zu begehen. (MS. a. 1775. 163 ff. 8⁰). — (Rosenthal Cat. 61. N. 1958). –

57. — **Geistliches Myrrhen-Gaertlein,** darin zu finden, wie man das Fest des *heil. Bernardi* würdig und andaechtig begehen solle. (MS. J. 1742. 91 ff. – Aliud MS. s. XVIII. 95 ff. 16⁰. – (Rosenthal Cat. 61. NN. 244. 1959). –

58. — **Gerardus** (e monacho Claravallensi abbas Longi-Pontis in Gallia et dioec. Suessionensi), teste Angelo Manrique (Annal. Cist. ad ann. 1153) scripsit *Gesta S. Bernardi.* Plura latent. – (Visch 123). –

59. — **(Giacomo de Portù.** —) *La Filomela di S. Bernardo* adattata alla Passione di nostro Signore per sette ore, tradotta dal Latino in Versi Italiani da *Giacomo de Portù.* — (Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 145. – Fabricius, Bibl. Lat. med. I. 695). –

60. — **(Giovanni di San Miniato** [1]). —) Il *primo Sermone di San Bernardo sopra la Cantica Canticorum* recato in volgare per Frate *Giovanni di San Miniato,* frate di Romiti degli Angeli. — (Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 139. – Codd. MSS. Biblioth. reg. Taurin. Athenaei II. Taurini 1749). –

N. 1: al. *de Saminiati.* –

61. — **Götz,** *Sigismund* (Pfarrer in Rappottenstein, Diöc. St. Pölten): *Lobpredigt über den h. Bernhard,* gehalten im Stifte Zwettl. 1726. — (MS. Monasterii B. M. V. in Zwettl). –

62. — **Guillelmus de Monte Acuto** (Clarae-Vallis monachus): *Flores ex operibus S. Bernardi.* (MS. bibliothecae Claravallensis). — (De Mangin, Langres III. 475). –

63. – **Hauzeur,** *Matthias* (minister-provincialis Minorum-Recollectorum Flandriae, scriptis florens a. 1634–1652): *Veronica pro Immaculata Virginis Conceptione* seu Interpretatio epistolae S. Bernardi ad Lugdunenses Canonicos. MS. — (Annal. de la Soc. archéolog. de Namur IX. 2). –

64. — **Heitschmann,** *Seraphinus* (monachus Lucellae Ord. Cisterc., mortuus a. 1686), scripsit *Tractatum in regulam S. Benedicti ex operibus S. Bernardi.* — (Buchinger, Epit. fast. Lucell.). –

65. — „**B. Helinandi** (Galli, Monachi Coenobii Montis-Frigidi Ord. Cisterciensis) *Liber de Commendatione S. Bernardi* Abb. Claravallensis, *ejusque dictis* et floribus“. – (Catal. MSS. biblioth. S. Georgii majoris Monast. Ord. S. Bened. Venetiis, ap.: *Gerbertum* in Itin. Aleman.). –

66. — **Henricus de Hassia**[1]): De reprehensione eorum, qui dicunt, *Bernardum* post mortem apparuisse cum macula. – (Montfaucon, Bibl. MS. Nova I. 612). –

N. 1: Vid. Bibliogr. Bernard. N. 47. –

67. — **Henriquez,** Chrysostomus[1]): *Apologia* en defensa de la *Epistola,* que escribio *S. Bernardo à los Canónigos de Leon.* MS. – (Alvarez y Baena I. 260). – N. 1. Vid. Bibliogr. Bern. N. 934. –

68. — **Hilario da Louriñan,** (Alcobaciensis monachus Ord. Cisterc., a loco natali nominatus): *Contemplaçoês de S. Bernardo.* (MS. biblioth. Alcobac.). – (**Barbosa** II. 458. – **Muñiz, Bibl. Cist.** 193). –

69. — **Hirschmentzel,** *Christianus* (professus Welehradiensis [in Moravia] Ord. Cist., mortuus a. 1703), haec opuscula manu scripta reliquit: „*Cultus* Solo-Latreuticus ex S. Scriptura et *S. Bernardo*" (!?). – *Elogia* quadripartita in vitam S. Bernardi. — *Mellilegium Bernardinum* in vitam contemplativam. — *Monita S. Bernardi* et Apologia in pseudo-abbates commendatarios. – *Zodiacus* tripartitus, regularis-praesularis, prognosticus et Cisterciensis, sive Exercitia sancto-Bernardica. —

70. — **Huart,** *Ignatius* (monachus Alnae Ord. Cisterc.): *S. Bernardi Facies immaculata.* – *Bernardus Monachus* („in quo" – verba sunt Huarti – „quidquid ab aliis de vita spirituali scriptum est hactenus, Sancti Doctoris verbis exprimitur et ab illo mutuatum probatur"). MS. — (Foppens I. 554. – Visch 169). –
Vid. Bibliogr. Bernard. NN. 1047. 1065. –

71. — **Johannes Hovedenus** (Londinensis, Eleonorae – matris Eduardi I, Angliae regis – capellanus, denatus a. 1275) scripsit inter alia metra rhythmica „*De beneficiis Dei ex Bernhardo*"; incip. „Jesu Christi celeri intercessione". MS. — (**Fabricius, Bibl. Lat.** IV. 243). –

72. — **Johannes de Turre cremata** *in S: Bernardum.* – (**Haenel,** in Cod. biblioth. Brugensis). –

73. — **Johannes Thomas** (Genuensis, Ord. Capucinorum sodalis et provincialis-minister Corsicae), „scripsit italice et habebat paratum in dies prelo submittendum opus ab eo ingeniose elaboratum sub titulo: *Genova sollevata con li ricordi di San Bernardo Abate dedicata alla Serenissima Republica di Genova,* morte praeventus a. 1681 sui voti compos haud effectus". MS. biblioth. Immaculatae Conceptionis conventus Genuae. — (**Bernardus a Bononia** 151. – Dionysius Gen. 198. – Joannes a S. Antonio, **Bibl. Francisc.** II. 223). –

74. — **Jomart,** *Norbertus* (professus S. Pharonis Meldensis, congregationis S. Mauri, natus X Sept. 1691, mortuus XV Maj. 1738): *Traduction du Traité de St. Bernard de l'Amour Dieu,* enrichie de notes et d'observations. MS. — (François IV. 126). –

75. — **Justinianus,** *Paulus* (Venetus, natus a. 1476, monachus Camaldulensis piissimus, mortuus XXVIII Jun. 1528): ***Versio** italica* operis *S. Bernardi,* cui titulus: *Aedificatio interior conscientiae.* MS. – (Ziegelbauer, Centifol. Camaldul. 43). –

76. — **Kastner,** *Augustinus* (abbas monasterii S. Johannis in Stams, Ord. Cisterc. in dioecesi Brixinensi, mortuus XIX Mart. 1738): *Theologia Bernardina.* Pars I: „Memoriale Marianum", complectens singulares gratias ac favores a Gloriosissima Coelitum Regina S. Ordini Cisterciensi ejusque personis concessos et per singulos menses ac dies distributos. Praemissa cuivis memoriali apta *ex Mellifluo Patre* Tessera ad S. Dei Genitricem

(etc. 1706). *Apologia pro Immaculata Conceptione B. V. et S. Bernardo ei minime contrario,* (1707). — (Xenia Bernardina III. 383). —

77. — **Kreyenriet,** *Theobaldus* (monachus Lucellae, cujus opera inter annos 1727—1740 in lucem prodierunt, eodem illo anno 1740 editurus erat opus sic inscriptum: *Zodiacus mellifluus* in duodecim controversias apologetico-theologicas et polemico-scholasticas distributus (in quo haereticorum omnium doctrinas refutavit et *S. Bernardum* ab erroribus ipsi objectis vindicavit). Scripsit etiam *Theologiam secundum principia S. Bernardi,* MS. 4°, compl. voll. — (Buchinger, Epit. fast. Lucell. — François II. 21). —

78. — **Lantenas,** *Hugo* (congregationis S. Mauri presbyter, professus in coenobio S. Augustini Lemovicensis XI Mart. 1651, mortuus XX Mart. 1701), in monasterio Altissiodorensi XVI Aug. 1686 suam operum S. Bernardi versionem scribere coepit, hoc titulo: *Les oeuvres de St. Bernard, traduites* sur l'édition de Merlon Horstius, avec des remarques. (XVI voll. fol. 6034 pp. asservata olim S. Germani de Pratis). — (François II. 42. — Tassin I. 287). —

79. — **Laurentius Auricularis** (monachus Lucellae saeculo XVII?) exaravit opus sic inscriptum: *Loci communes a S. Bernardo,* materiis ordine alphabetico digestis. MS. — (Buchinger, Epit. fast. Lucell.). —

80. — **Lopes de Quentel,** Antonius de S. Vincentio (Santaremi in Lusitania natus, monachus Fuliensis, Neapoli vestitus a. 1641, exstinctus a. 1672): *Martyrio di S. Bernardo* Abbate di Claravalle. 1666. 4°. MS. Biblioth. Pudentianae Romae. — (Muñiz, Bibl. Cist. 270). —

81. — **Ludigerus** (tertius abbas Veteris-Cellae in Misnia, Ord. Cisterc. ab a. 1224, mortuus XXVI Febr. 1234) reliquit *Orationem de S. Bernardo.* MS. — (Bayer, Altzelle. — Jöcher, II. 2572. — Possevin. Appar. II. 35. — Schlegel, De Cella Veteri 113). —

82. — **Manjanares,** *Leander* (professus Ursariae in Hispania, post abbas S. Martini de Castañeda Ord. Cisterc., morte absumtus a. 1775): *S. Bernardus constans assertor pro immaculata Conceptione Beatae Mariae.* Dissertatio Critico-Academica super Epistola ejusdem ad Lugdunenses Canonicos. MS. 4°. — (Muñiz, Bibl. Cist. 201). —

83. — **Maynardus** (Italis *Mainardo*), *Johannes Franciscus a S. Bernardo*[1]), opus „*Spiritus S. Bernardi*“ inscriptum 2 voluminibus publici juris facturus erat, cum fatis cederet (XVII Nov. 1665). — (François II. 227. — Morotius, Cisterc. 46. 99). —

N. 1. Vid. N. 1084. —

84. — **Melgaço,** *Franciscus de,* (professus Burii O. Cist., quem saeculo XIV floruisse narrant), *vitam S. Bernardi* a Theodorico abbate compositam in linguam lusitanam vertit. Ejusdem etiam est: *Disciplina dos Monjes para bem governar as vidas, composta por S. Bernardo,* qui liber pars operis „De Anima“ fuisse putatur. MSS. — (Barbosa II. 197. — Index Codd. biblioth. Alcobat. p. 128, N. 291. — Muñiz, Bibl. Cist. 215. — Silva et Vischius tacent!). —

85. — **Mercier,** *Ambrosius* (Luxovii O. S. B. XXVII Maji 1653 professus et prior, mortuus XXIX Jan. 1702), in scriptis reliquit: „*Theologiam ad mentem SS. Gregorii, Anselmi et Bernardi* a se concinnatam". — (Ziegelbauer [Legipont.] III. 655). —

86. — **Mezler,** *Benedictus* (Canonicus Sorethinus Ord. Praemonstr., natus XXVIII Jul. 1697): *Notae theologico-asceticae in 23 Sermones B. Bernardi* in Cantica Canticorum 1761. MS. — (Lienhart 400). —

87. — **Miélot,** *Johannes* (scriba Philippi Boni, Burgundiae ducis, eique a secretis): *L'Epistre de saint Bernard de la règle et manière* comment le mesnage d'un bon hostel doit estre prouffitablement gouverné. (Trad. à Lille, le 10 oct. 1468. — Versio epistolae de cura rei familiaris). MS. — (Le Biblioph. Belge II. 1845. p. 385). —

88. — **Monte Santo,** *Gregorio da,* (Recinetensis, Ord. Minorum Observantium monachus, natus VIII Aug. 1731): *Opere scelte del mellifluo Dottore S. Bernardo* tradotte a comun beneficio, ed ornate di copiose annotazioni istorico-critiche, teologiche, e morali. MS. — (Vecchietti, Bibl. Pic. IV. 270). —

89. — **Montsò.** — Hujus nominis monachus quidam ordinis S. Dominici *S. Bernardi Sermones in Cantica* vertit in linguam *catalonicam.* — (Torres Amat 339). —

90. — **Moreau,** *Johannes* (Vallis B. Mariae in Gallia monachus et Ordinis Cisterciensis in partibus Italiae syndicus, florens a. 1590), scripsit *Orationem doctissimam in laudem S. Bernardi,* quae utrum impressa fuerit nec ne latet. — (Visch 228). —

91. — **Morganensi** cuidam (Ord. Cist. in Wallia) abbati debentur „*Concordantiae in Divum Bernardum super Cantica*", Vischio (p. 130) teste in bibliotheca manuscripta coenobii Dunensis asservatae. —

92. — **Morosi,** *Vincentius* (Anconae natus V Apr. 1762, denatus XXIX Jan. 1833, presbyter congregationis Oratorii), scripsit: *Il Trionfo della vocazione, o sia il S. Bernardo Abbate.* Dramma in cinque atti. — (Villarosa II. 75). —

93. — **Mueleman,** *Adrianus* (professus Dunensis Ord. Cisterc., defunctus VII Mart. 1649), theologus eruditissimus, *Summam* (quam vocant) *locorum* pulcherrimorum ex scriptis *S. Bernardi* de Deo, de incarnatione, de B. V. Maria, de angelis et beatis, de statu monastico et de virtutibus confecit. — (François II. 316: *Mulcman.* — Visch 6). —

94. — **Nicolaus,** abbas S. Albani O. S. B. in Anglia, scripsit duos libros pro immaculata B. V. Mariae conceptione, in quibus *epistolam S. Bernardi ad canonicos Lugdunenses* refutat. — (François II. 329). —

95. — **Oloriz y Nadal,** *Johannes Chrysostomus Benedictus* (professus S. Fidei ad Caesaraugustam Ord. Cisterc., regiae academiae linguae Hispanicae sodalis, in Oscensi S. Bernardi collegio professor, mortuus XVII Jun. 1783), aliquot fasciculos materiarum

ad historiam S. Bernardi elaborandam collectarum reliquit. — (Latassa [Gomez Uriel] II. 429. — Muñiz, Bibl. Cist. 241). —

96. — **Panagl,** *P. Bernhard* (Soc. Jesu presbyter): *Lobrede über den h. Bernhard,* gehalten im Stifte Zwettl, als Fr. Anselm primizirte. 1725. — (MS. Monasterii B. M. V. in Zwettl). —

97. — **Parent,** *Nicolaus* (prior monasterii de Laude Ord. Cist., mortuus XXII Febr. 1663), reliquit opus sic inscriptum: *L'alliance sacrée de Dieu avec l'âme humaine* effleurée des parfaits amours et sainctes jalousies de très-dévôt et melliflu père *Saint-Bernard.* MS. — (Houdoy, Impr. Lill. 226. N. 71). —

98. — **Pasqual,** *Antonius Raymundus* (Vid. Bibliogr. Bernard. N. 1796), haec opera manu scripta reliquit:

Teodidacti ac Meliflui (!) Doctoris *Divi Bernardi Systema ad peccatum ignorantiae dignoscendum,* contra D. Franciscum Le Texier, monachum Benedictinum congregationis S. Mauri.

Mens S. Bernardi Abbatis Claravallensis *de Beatitudine Sanctorum,* ac eorum intuitiva Dei visione tum ante, tum post resurrectionem.

Varias materias Teologicas Lulianas, en las quales va conformando la Doctrina Luliana [1]) con la de los Santos Padres, principalmente con la de S. Anselmo, S. Agustin, y *S. Bernardo* etc.

Varias anotaciones para establecer el *Systema Teologico de S. Bernardo.* — (Muñiz, Bibl. Cist. 254. 255). —

N. 1: scil. Raimundi Lulli. —

99. — **Paula** (monialis coenobii dicti „delle Murate di Firenze", florens a. 1602) *S. Bernardi Sermones in Cantica* vertit in italicam linguam. — (Argelati, Bibl. d. Volgarizz. I. 139). —

100. — **Penneman,** *Franciscus* (sodalis Dunensis Ord. Cisterc.), anno 1643 exaravit librum, cui inscriptio erat *„Anagrammatismus",* compositum anagrammatibus nominum Jesu Christi, B. V. Mariae et *S. Bernardi.* — (François II. 374). —

101. — **Petrus de Amer** (quartus superior-generalis ordinis de Mercede, electus a. 1262, mortuus a. 1301), scripsit sermone hispano *tractatum in* illa *verba S. Bernardi:* „que la superfluidad exterior es señal de la vanidad interior". — (Torres Amat 39). —

